



contat. 2 ff. 4 ff.

Sammelhof u

- 1)
- 2)
- 3)
- 4)
- 5)
- 6)
- 7)
- 8)
- 9)
- 10)
- 11)
- 12)
- 13)
- 14)
- 15)
- 16)
- 17)
- 18)
- 19)
- 20)
- 21)
- 22)
- 23)
- 24)
- 25)

35.

46

I. F. M.

---

DISSERTATIO

DE

להורת הברית  
אחרונים

SEV

TABVLIS FOEDERIS  
POSTERIORIBVS

QVAM

ERVDITORVM EXAMINI

SVBIIICIVNT

P R A E S E S

M. IOANNES FRIDERICVS  
MICHAELIS

VITTEMB. SAXO

ET

RESPONDENS

IO. CHRISTIANVS PANTHERVS

ZITTAVIENSIS LVSATVS

PHIL. ET S. S. THEOL. CVLTOR.

---

XVI. CALENDAS OCTOBR. A. ∞ 1791.

IN AVDITORIO MINORI.

---

VITTEMBERGAE

LITERIS VIDVAE GERDESIANAE.



DISSERTATIO

DE  
TABVLIS FODERIS  
POSTERIORIBVS

TABVLIS FODERIS  
POSTERIORIBVS

ERUDITORVM EXAMINVM  
PRAESES

M. IOANNES FREDERICVS  
MICHAELIS

VITTMÆ SAXO

IO. CHRISTIANVS PANTHERVS

RECTOR

IN APTORVM MINORI

VITTMÆ  
LITTEAE VIDVAE GERDESIAE



DE  
TABVLIS FOEDERIS POSTERIORIBVS.

§. I.

**Q**uanta DEI gratia, & clementia, erga populum Israe-  
liticum, perfidum alias, & ad idololatriam prouum,  
fuerit, non tam concipere, quam admirari, licet; eo,  
enim, saepius se extendebat, ut DEVS, loco extre-  
mae excisionis, populum hunc, nouo ac ingenti, beneficio or-  
naret. Evincent id, prae aliis, *Tabulae foederis posterio-  
res*, quas summum Numen, quamvis, nefanda Israelitum ido-  
latria, vehementer, laesum esset, prioribus a Mose fractis, in  
signum instaurati foederis, iisdem concessit. Singularem hanc  
DEI gratiam, omnisapientia eius comitabatur, qua aliquod di-  
scrimen, priores inter & posteriores tabulas, ponebat, ne po-  
pulus hic, peccatis prorsus immersus, existimaret, se, abomi-  
nanda sua *Moscholatria*, leuem, tantum, errorem commisisse.  
Discrimen illud, maxime, in eo consistebat, quod DEVS tabu-  
las, quas, antea, ipse formauerat, nunc Mose fabricandas, &  
dolandas, injungeret, ipse, vero, tantum scriptionem Decalogi  
sibi reservaret, quemadmodum id ex *Exod. XXXIV.* clare inno-  
tescit. Causa hujus rei non, equidem, poena, Israelitis infli-  
genda, quod CORNELIO a LAPIDE (a) placet, neque signifi-  
catio indignationis DEI, uti BONFRERIVS (b) putat, sed, po-  
tius, communitio commissi peccati fuisse videtur, prout RIVE-  
TVS (c) & CALOVIUS (d) sentiunt, ut, scilicet, cicatrice pec-  
cati relicta, ob quod priores tabulae contractae fuerunt, semper,  
memoria aliqua, in hac mutatione, obseruetur, cui *Calovius*,  
adhuc, aliam, ab *Adami* lapsu petitam, adjungit.

§. II. *Modus, quo Moses, opus a DEO sibi injunctum, per-  
fecit*, itidem *Exod. XXXIV, 1.* & quidem, satis perspicue, descri-  
bitur,

A

bitur,

(a) *Comment. in Pentateuch. ad Exod. XXXIV. 1. f. 593. col. 1.* (b) *Com-  
ment. in Pentateuch. ad l. c. f. 560.* (c) *OO. Theol. Tom. I. Com-  
ment. in Exod. ad Cap. XXXIV. 1. fol. 1200.* (d) *Bibl. Illustr. ad  
h. l. f. 460.*

bitur, ita, ut, si *Rabbini* literam Scripturae observassent, ad monstrofa, & inaudita, figmenta, de *vermiculo Schamir*, illis minime progrediendum fuisset. Verum quum illi fabulis, admodum, delectentur, nec hic otiosi esse voluerunt, sed somnium illud, de commemorato vermiculo, excogitarunt, quem ita describunt, quod sit *mollissimus omnium vermium, magnitudinis grani bordeacei, qui tanta virtute polleat, ut durissima saxa, petras, rupes, montes, marmora, & adamantes, solo tactu, findere, & excavare, possit.* Mirum, certe, animal, huc dum, a nullo Phycorum observatum, cujus originem *Rabbini*, ut, eo melius, hanc fabulam pingant, ad *vesperam sexti creationis diei* referunt, qua eundem, uti ex loco *Miscbnico, Dissert. de Tabulis Foederis prioribus* (e), citato, patet, a DEO, cum aliis rebus, creatum esse, statuunt. Et quamvis in vita communi, singularis, hujus vermiculi, usus, esse potuisset, *Rabbini*, tamen, eundem, paucis notum, &, non nisi quater, ad res sacras adhibitum, fuisse contendunt. Primum, secundo & tertio, Mosen illum ad dolandas, & poliendas, tabulas posteriores lapideas, atque ad excavandos lapides pectoralis, & humeralis, Aaronis, quarto, vero, Salomonem, ad findendos lapides, pro templo exstruendo, aptandos, usurpasse volunt. Quum, autem, inter Mosen & Salomonem, magnum temporis spatium intercedat, & *Rabbini*, praeter Mosen, neminem, certi quid, de hoc vermiculo cognovisse, tradant, ne dubium aliquod oriatur, fabulam, qua arte Salomon, templum aedificaturus, eundem impetrarit, quae in *Talmud* פִּיטָא reperitur, & jure meritoque, a *BVXTORFIO* (f) impia nominatur, excogitarunt. Non uno, tamen, modo, somnium illud, a Scriptoribus refertur, quare, breviter, diversas narrationes hic annotabimus. *WAGENSEILIVS* (g) &, ex hoc, *LUNDIVS* (h) rem ita exhibent: Salomonem, qui, huc-

(e) *Seff. II. §. 4.* (f) *Lex. Talm. Rab. p. 2456.* (g) *not. 1. ad Excerpt. Gemar. Sota, c. IX. n. 12. ex Gittin.* (h) *von den alten Jüdischen Heiligthümern, lib. II. c. 3. n. 15. 16. 17. 18. 19.*

dum, quaedam, confuse, de verme *Schamir* perceperat, Sapientes congregasse, ipsosque interrogasse, ubi vermiculus ille reperitur, hos, vero, tanti mysterii ignaros, inscitia sua se excusasse, &, tandem, Salomoni svasisse, ut daemones adjuret, variisque cruciatibus, ipsis impositis, addiscat, quidnam de vermiculo *Schamir* eis innotuisset? Pergunt, laudati Auctores, placuisse consilium Salomoni, ipsumque mox, incantationibus, daemones citasse, aut nihil, nisi hoc, ex iisdem, percepisse, Asmodaeum, principem daemonum, forte, quaedam, de vermiculo illo, cognita habere. Advocato Asmodaeo, Salomonem, ab ipso, vermem *Schamir* expetiisse, narrant, hunc, vero, respondisse, eundem non sibi, sed angelo, *Sar dima*, dominium in aquas habenti, concreditum esse, qui illum nemini, nisi *aquilae*, vel *gallo sylvestri*, permitteret. Salomonem, porro, quaesivisse, quidnam aquila, verme commemorato, efficiat? reposuisse Asmodaeum, collocare hanc avem vermiculum, sibi concreditum, in montes petrosos desolatos, in quibus nec gramina, nec arbores, reperiuntur, hisque, virtute vermiculi, ruptis, in fissuras, semina, arborum, & herbarum, conjicere, quo, hac ratione, montes, fruticibus, herbis, & arboribus, exornentur. Dimissis, denique, daemonibus, Salomonem ministris suis injunxisse, ut in nidum aquilae inquirerent, eundemque, vitro albicante, obducerent, hoc facto, aquilam, quum ad pullos intrare non posset, in *Paradisum*, qui, plerumque, *Rabbinis*, receptaculum istiusmodi figmentorum est, avolasse, & vermem, *Schamir*, ex eo apportasse, ministros, vero, Salomonis magnum clamorem edidisse, territamque aquilam vermem dejecisse, hunc ministros Salomonis excepisse, & ad dominum suum detulisse, aquilam, autem, ob fractam fidem, jurejurando datam, se suspendisse, ajunt. Aliter BOCHARTVS (i) hoc somnium enarrat. Refert, enim, *Talmudicos*, in *tractatu Gittin*, asserere vermiculum *Schamir* ab ipso Asmodaeo allatum fuisse; alios, vero,

A 2

malle,

(i) *Hierozoico Parte Post. Lib. IV. c. II. p. 841. sqq.*

malle, Salomonem ad nidum *upupae*, non *aquilae*, misisse, hancque, quum ministri Salomonis pullos ejus vitro inclusissent, in hortum *Eden* avolasse, & vermem *Schamir*, ad vitrum perfringendum, attulisse; unde in tractatu *Cholin* (k), de upupa, dicatur וְהוּא שֶׁהָבִיא שְׂמִיר לְבִירַת הַמְּקוֹשׁ *haec est, quae attulit vermem Schamir ad domum sanctuarii*. Sed neque negat, *Rabbinos*, hoc in negotio, quandoque, etiam, de *aquila*, loqui, dum *Auctorem libri Ialkut* adducit, cui R. DAVID (1) est jungendus, qui ex *Midrasch* טוב שוֹרֵר טוֹב narrat, Salomonem, lingua-  
rum avium, apprime, peritum, ex iis quaesivisse, ubi esset *Schamir*? quo audito, confestim aquilam in hortum *Eden* avolasse, indeque vermem *Schamir* attulisse, quamvis & haec cum *Wagenfeldii* & *Lundii* relatione non, exacte, convenient. Prorsus aliter hanc fabulam VINCENTIVS BELLOVACENSIS (m) adornat, *upupae* vel *aquilae struthiocamelum* substituens, cujus verba ita sonant: *Tbamur*, dicitur vermis Salomonis. Nam Salomon, cum marmor *Parium*, ad aedificationem templi, de remotis partibus convehi praecepisset, conscius prohibitionis legis, quae vetuit, altaris aedificandi lapides ferro incidi, quaesivit experimentum in vermibus, quod ars humana nescivit. Nam pullum struthionis in vitreo vase reclusit, quem, cum struthio videret, & habere nequiret, naturaliter agnitam artem attentans, ad desertum cucurrit, rediensque vermiculum tulit, cujus sanguine vitrum lenivit, & confractum est, sicque foetum eripuit. Quod videns Salomon hoc experimento, eodem genere vermis, in incisione durissimi marmoris usus, & effectum consecutus est. Uti autem *Rabbini*, &, cum illis, alii *Scriptores*, in modo describendo, quo Salomon hunc vermem adeptus sit, discrepant; ita, etiam, in eo non conveniunt, qua ratione, beneficio illius, lapides fissi fuerint? R. OB. DE BARTENORA (n) existimat, vermem *Schamir*, in conspectu lapidis,

(k) fol. 63. a. (1) 1. Reg. VI, 6. ad verba אֲבִן שֶׁלֹּמֹה *Lapide integro*.  
(m) *Doctrinalis sui Libri XVI. cap. 123.* (n) *Notis ad Masssch. Sota cap. IX. n. 12. & Pirke Avoth cap. V. n. 6.*



pidis, atramento, similive tinctura, signati, positum fuisse; *Lundius*, vero, narrat, cylindro plumbeo, ad certum lapidis locum, applicato, ex contactu vermis, lapides dissiluisse, quod, quum tota res fabula sit, determinari non potest. De cylindro, tamen, cujus *Lundius* mentionem facit, adhuc notandum, in eodem, adjectis furfuribus hordeaceis, & lana admodum porosa, vermiculum, diu, servatum fuisse, usque dum, tandem, vastato Salomonis templo, ille perierit. Iacturae pretiosi hujus cimelii, *Mischna tractatu Sota* (o) his verbis meminit: משחרב בית השמיר המקדש בטל השמיר *templo desolato periit Schamir*, quam iacturam, magno reipublicae damno, factam esse, *Rabbini* credunt. Atque haec est tota, de vermiculo Schamir, fabula, quae, unde repetenda sit, *Rabbini* ipsi ignorant. *R. David*, a *Buxtorfio* adductus, bene animadvertens, figmenta illa neque verisimili argumento probari posse, quo, tantum, auctoritatem Doctorum suorum integram servaret, aliis persuadere conatur, *Rabbinos* talia per *Cabbalam*, inde a diebus *Mosis*, habuisse, hincque de istis neque dubitandum, neque disputandum esse. Ast veremur, ut id *R. David*, apud prudentiores Criticos, obtineat, qui, jamdudum animadverterunt, monstrosum hoc *Rabbinorum* somnium, fundamentum suum non in *Cabbala*, centone fabularum, sed, potius, in perversa Scripturae S. interpretatione, habere. In illa, enim, multoties, vox שמיר, & quidem, *Ezech. III, 9. Jer. XVII, 1. Zach. VII, 12. Ies. V, 6. c. XVII, 1.* reperitur, sed vel lapidem durissimum, vel senticetum, non vero vermiculum, lapides findentem, significat. Quando, autem, lapidem notat, ab Interpretibus, mox per adamantem, mox per aliam lapidis speciem, redditur, a multis, vero, *BRAVNIO* (p), *BOCHARTO*, aliis, pro *Smyride*, Graecis σμύρις & σμυρίτης dicto, habetur. Est, vero, *Smyris*, lapidis genus durissimum, quo gemmarum, ad expoliendas gemmas, utuntur, qua ratione, a *DIOSCORIDE* (q) describitur,

A 3

cujus

(o) *Massech. Sota cap. IX. n. 12.* (p) *de Vestitu Sacerdotum Ebraeorum, Lib. II. c. VII. §. 12.* (q) *Lib. V.*

cujus verba ita sonant: Σμύρις, λίθες ἢ τοῖς ψήφοις, οἱ δακτυλογράφοι, σμήχισσι. Plura, de *Smyride*, ex Graecis, maxime, Scriptoribus, *Bochartus* affert, quae, quum ibi legi possint, hic non adducemus. Praeter loca allegata, praecipuus, qui *1. Reg. VI, 7.* habetur, cuique tota fabula, in primis si illa, quae de Salomone traduntur, spectes, superstructa videtur, hic est commemorandus. In illo, equidem, nulla mentio fit vocis שמיר, refertur, autem, templum Salomonis ex lapide integro, prout allatus erat, aedificatum, neque malleos, secures, aut ulla alia instrumenta ferrea, audita esse. Nunc, equidem, verum est, hunc locum varias, & mirabiles, prorsus, sententias, de aedificatione templi Salomonaci, peperisse, quae, in compendio, a LVNDIO (r) proponuntur, quasi, videlicet, illud ex impolitis, vel non aptatis, lapidibus, aut non ab hominibus, sed ab angelis, imo ipsis diabolis exstructum fuisset, aut, tandem, lapides, ultro, locum suum occupassent; interim, tamen, etiam, constat, eundem, si recte inspiciatur, se ipsum facile explicare. Quamvis, enim, dicatur, in ipsa aedificatione templi, neque malleum, neque securem, neque ullum aliud instrumentum, auditum esse, id, tamen, de monte *Libano* non affirmatur, in quo, sine dubio, lapides, ad exstruendum templum destinati, ad amissim, exacte, fissi, & aptati, fuerunt, ut, adeo, non opus sit, animalculum aliquod, a nullo, in toto terrarum orbe visum, excogitare. Censemus, itaque, cum *Braunio*, traditionem totam, de vermiculo *Schamir*, putidas fabulas, & nugas, non prudentioribus Criticis, sed solis Iudaeis, dignas, habendam esse. Ceterum, praeter Auctores citatos, de vermiculo *Schamir*, CONSTANT. L' EMPEREVR (s), GAFFARELLVS (t), SERARIVS (u), LYRA (x), aliique conferri merentur, qui omnes, si jungantur, plenioris vermiculi *Schamir* descriptionem dabunt.

§. III.

(r) *l. c. num. 16. 17. 18. 19.* (s) *not. 5. ad Midd. Cap. V. Sect. III.*

(t) *Curios. inauditarum Part. I. cap. II. §. 5.* (u) *ad. 1. Reg. VI.*

(x) *ad 1. Reg. VI.*

§. III. Optime, itaque, illi faciunt, qui in clara Scripturae S. litera acquiescunt, & tabulas foederis posteriores, *juxta Exod. XXXIV. 1.* a Mose, instrumentis, dolatas, & fabricatas, esse, statuunt. Distincte id innuit vox פסל, cujus radix est פסל, *dedolare, exsculpere*, ex quo posteriori significato conjicere liceret, Mosen, tabulas posteriores, non saltem simpliciter dolasse, verum etiam quibusdam sculpturis exornasse. Quomodo vero Moses in deserto, ad dolandos lapides instrumenta habere potuerit? non multum quaerere iuvat; curiositatis, tamen, causa ABVLENSIS (y), dupliciter, ad datam quaestionem respondet. *Primo* non absonum esse existimat, si statuatur, DEVM ipsum, in deserto, instrumentum aliquod, quo Moses tabulas foederis posteriores dolaret, & poliret, parasse. *Secundo*, fieri potuisse, quod Moses ad tentorium ascenderit, indeque instrumenta, quae, jam antea, possederat, acceperit, atque sic, iisdem, tabulas foederis fabricaverit, quae posterior responsio priori praestat. Ast num, etiam, mandatum DEI, *ut nullus cum Mose ascenderet, neque vir in toto monte videretur*, ad ascensionem Mosis in locum, ubi tabulae dolandae erant, & ipsam dolationem, sit referendum, maxime incertum videtur, quum textus, potius, de ascensione posteriore Mosis, in montem Sinai, loquatur. Porro alii inter se disceptant, an ipse Moses, suis manibus, tabulas posteriores fabricaverit, an, vero, id per artifices fecerit? *Præus Abarbaneli*, a CARTVVRIGHTO (z) citato, ut & ABVLENSI (a), placet, ideo, quia, in textu authentico, pronomen הוּ, verbo פסל jungitur, unde *Abarbanel* singularem aliquam emphasin exsculpit, innuere, scilicet pronomen illud, ab ipso Mose, non alio quoquam, tabulas fuisse dolandas, quam emphasin, tamen, lubricam, admodum, & incertam, esse §. VI. ostendemus. *Posterius CORNELIO a LAPIDE*

(b) arri-

(y) OO. Tom. III. Parte altera ad Deut. X. quaest. 2. f. 87. (z) Notis ad Exod. IV. 1. Bibl. Crit. tom. I. Part. I. p. 859. (a) OO. Tom. II. ad Exod. XXXIV. quaest. 1. f. 271.

(b) arridet, ac, non sine causa, & nobis, priori sententiae praeferendum videtur. Si, enim, vel maxime statuatur, haec, DEVM, Mofi, pridie ascensus mane, mandasse, vix, tamen, concipi poterit, quomodo Moses, uno die, & lapidem, ad tabulas foederis formandas, aptum, comparare, eundemque complanare, polire, & exornare, potuerit. Verisimile, itaque, videtur, haec verba: *כִּסֵּה לֶךְ* ita intelligenda esse, quomodo illa, *Exod. XXV.* usque ad *Cap. XXX.* accipiuntur, ubi totum tabernaculum, & omnia ejus instrumenta, eodem loquendi modo, Mofi fabricanda injunguntur, quum, tamen, haec omnia, non ipse solus, sed cura, mandato, directione sua, per *Bezalelem, Oboliahum*, aliosque, praestiterit.

§. IV. *Tempus, quo Moses tabulas foederis posteriores dolavit*, indagare, non inutile erit, quum, hac ratione, deinde, eo melius, Chronologiam descensus Mosis, ex monte, & exhibitionis tabularum posteriorum, nectere queamus. *Annus*, quo eadem dolatae sunt, idem est, quo priores, a Mose, fractae fuerunt, *Annus scilicet Mundi 2514.*, & *primus ab exitu Israelitarum ex Aegypto*, ut, adeo, hic nulla difficultate premamur. Aliter se res cum *Mense* habet, quem, nisi *Rabbinos* sequi velimus, ex Scriptura eruere haud possumus, Nam ex *Exod. XXXII. & XXXIII.*, aperte, colligitur, Mosen, post fractionem tabularum priorum, quae *decimo septimo die mensis Tamuz* contigit, aliquoties, rursus, montem ascendisse, &, deinde, tabernaculo, extra castra, translato, e castris ad tabernaculum, & e tabernaculo ad castra, frequentius, itasse, atque, adeo, plures tunc dies, cum populo, exegisse, quorum numerus, tamen, a Spiritu S., non determinatur. Sed neque ex *Rabbinis* certi quid, haurire possumus, quum Mosen, ter, per quadraginta dies, in monte stetisse, somnient, quod, tamen, rationibus temporum conciliari non posse, deinde demonstrabimus. Verisimillimum, interea, videtur, Mosen, tabulas foederis posteriores, non *mense Tamuz*,

(b) *Comment. in Pentateuch. ad Exod. XXXIV. 2. f. 593. col. 1.*

*Tamuz*, sed sequenti *Ab* dolasse, &, ad scribendum, praeparasse. De die, tandem, multo incertiores, quam de *mensē*, sumus, quum, de illo, Scriptura nihil habeat, neque conjectura hic aliquid possit. *Rabbini*, interea, uti *Hiscuni*, apud *DRYSIVM* (c), existimant, die *vigesimo nono*, *mensis Ab*, Mosen, ad offerendas DEO tabulas, montem ascendisse, sicque easdem, praecedenti *vigesimo octavo die*, dolasse, quod extra omne dubium positum erit, si *Expiationis festum*, *decimo die mensis Tisri celebratum*, ideo institutum dicamus, quod Moses, hoc die, cum tabulis posterioribus, tanquam signo reconciliationis cum DEO, ex monte Sinai redierit. Et, quum sententiam meliorem, & firmiorem, non videamus, in hac, tantisper, acquiescimus, usque dum probabiliorem inveniamus; nullo, tamen, modo *Rabbinos*, qui inter tempus fractionis priorum tabularum, & postremam hanc Mosis ascensionem, alios quadraginta dies, quibus, pro populo, deprecatus sit, infarciunt, approbamus. Ex ipsa Scriptura certum est, tabulas posteriores pridie illius diei, quo Moses, secundo, in montem Sinai, per quadraginta dies ibidem mansurus, ascendit, dolatas esse, quod, clare, ex *Exod. XXXIV, 1. 2.* innotescit, ut, adeo, uno die, totum negotium, ex sententia *ABULENSIS* (d), sub aurora, ipsi injunctum, feliciter absolverit. Non minori obscuritate *Locus, ubi tabulae posteriores, a Mose, dolatae fuerunt*, est involutus. *Abulensis* vult, Mosen, sumtis, ex castris, necessariis quibusdam instrumentis, ad locum, in quo lapidicina reperiebatur, ex qua DEVS tabulas posteriores praecidi voluit, perrexisse, ibidemque tabulas dolasse. Huic *Corn. a Lapide* adversatur, dum contendit, Mosen, in castris, per artifices, tabulas praeparasse. Neutrum, tamen, veritati conveniens videtur, quum tutius sit, statuere, penes *tentorium conventus*, extra castra, tanquam in loco sanctiori, easdem fabricatas esse.

B

S. V.

(c) *Notis ad Exod. XXXIV. Bibl. Crit. l. c. p. 843.* (d) *l. c. ad Exod. XXXIV. quaeft. 3. f. 272.*

§. V. Ad materiam, posteriorum tabularum, explicandam, multum illa, quae de materia priorum, jam, commentati sumus, faciunt; occurrunt, tamen, hic quaedam singularia, quorum nunc mentionem injiciemus. Plerique, ac tantum non omnes, *Critici, Interpretes, & ipsi Rabbin*, in eo conveniunt, ejusdem, quoad speciem, lapidis, posteriores tabulas, cum prioribus, fuisse, quum ipse DEVS, *Exod. XXXIV. 1.* nullum aliud discrimen priorum & posteriorum tabularum, quam diversam earundem fabricationem, commemoret. Et, sane, haec sententia ita comparata est, ut eidem tuto assentiri queamus, modo, quum Scriptura lapidem illum clarius non describat, in his acquiescamus, neque ad specialiora progrediamur. Id, vero, *Rabbin*, propter sententiam, de sapphirina, priorum tabularum, materia, receptam, facere haud possunt, hinc, inter alios, *R. Salomon*, apud TOSTATVM (e), posteriores, itidem, sapphirinas fuisse, contendit, quamvis RIVETVS (f), de *R. Salomone* agens, pro *Sapphiro laspidem* substituatur. Tota res, secundum mentem hujus *Rabbin*, ita se habuit: DEVS, quum Mosi mandaret, ut, in locum priorum, novas tabulas dolaret, & in montem *Sinai* secum afferret, eidem λατομίαν aliquam ejusmodi lapidis pretiosi, ex mente hujus *Rabbin*, ostendit, ex qua ille, pro tabulis, lapides excidit, & ex hac massa, tandem, ipsas tabulas praeparavit. Sed bene Rivetus monet, hac fabula, de λατομίαι, nihil infusius, nihilque audacius, excogitari potuisse; tota, enim, res, si *R. Salomo* lapidem hunc sapphirum faciat, falso fundamento, jam dudum in *Dissertatione, de prioribus tabulis* subruto, superstruitur. Porro, *R. Salomo*, uti LVNDIVS (g) tradit, statuit, lapidem illum, non secundum ordinem naturae, productum, sed a DEO, de novo, creatum fuisse, quod, etiam, *Lundius* approbat, quamvis illud ipsum, cum sententia *R. Salomonis*,

(e) l. c. ad *Exod. XXXIV. quae*st. 2. f. 271. (f) *OO. Theol. tom. I. Comm. in Exod. Cap. XXXIV. 1. f. 199.* (g) *von den alten Jüdischen Heiligthümern Lib. I. Cap. XV. n. 16. & 17.*

monis, de *λατομικῶν* lapidis sapphiri, non bene cohaereat; quid enim opus fuisset, ut DEVS, si lapidem illum de novo creasset, Mosen in *λατομικῶν* aliquam introduceret? Nos, & in hac parte, ex rationibus, in *Dissertatione, de prioribus tabulis*, allegatis, tam a *Salomone*, quam a *Lundio*, recedimus, atque existimamus, quum nulla necessitas miraculum hic concipere urgeat, naturali modo lapides illos generatos fuisse.

§. VI. Error *Iarchii*, huc usque confutatus, adhuc alium parit, Mosen, scilicet, ex fragmentis tabularum, quae in dolando abscissae sunt, valde ditatum esse, ut, adeo, divitiae, ex prioribus tabulis, collectae, ipsi nondum suffecerint. Praesidium, suae sententiae, *R. Salomo*, in verbis, *כֶּסֶל לְךָ*, quaerit, ubi, in primis, Pronomen *לְךָ* ita interpretatur, ut idem sit, ac *inutilitatem tuam*. Merito, hinc, *ABVLENSIS* (h) opinionem hanc falsam, & ridiculam, esse judicat, quamvis nec ipse, ab omni naevo, hac in parte, absolvi possit, dum hanc Spiritus S. loquendi rationem, *superfluam, & barbaricam, valde, esse, impudenter* statuit. Cautius, atque, erga Scripturam S., reverentius, illi se gerunt, qui phrasin hanc, idiotismum Linguae *Ebraeae*, vel pleonasmum, ad svavitatem linguae singularem, multum conferentem, cum *BVXTORFIO* (i), *Oleastro*, *Riveto*, *Oscandro*, aliisque, faciunt, quorum ultimus, ex genio linguae *Gallicae*, similem loquendi modum adducit. Interim, tamen, non male, *Tostatus* contra *R. Salomonem* urget, quod si, hoc in loco, phrasin ista talem emphasin inferat, eandem, etiam, aliis in locis, v. c. in sequentibus, ubi haec verba, *observa tibi*, leguntur, attendendam esse, quum, tamen, ibidem nulla reperiat. *Rabbinis*, interea, non est difficile, propter singularem, in fingendo, promptitudinem, ex istiusmodi locis, emphasin aliquam eruere, quamvis, re ipsa, nulla, in iisdem, conspiciatur. Exempli loco *R. Bechai*, a *BVXTORFIO* (k) citatus, esse potest, qui, ad ver-

B 2

ba,

(h) *loc. proxime cit.* (i) *Thesauro Grammat. Lib. II. Cap. XI. p. m. 456.* (k) *Hist. Serpentis aenci Cap. V. quaest. 3. Exercitat. p. 477.*

ba, עשה לך, *fac tibi, preslerem*, (quae Num. XXI, 8. occurrunt) scribit: *DEVM non simpliciter dicere, fac serpentem, sed fac לך tibi, כי אמר השם ית על שדברו כנגדי הריני מוחל להם, בזכות תפלתך אבל מה שדברו כנגדך עשור לך שרף צורך אתה לעשות מעשה בידים כדי שיתפרסם כמרה: קשר לפני פי שמדבר כנגד נביאי: quia scilicet dixerit DEVS benedictus; quod ad illud attinet, quod loquuti sunt contra me, id condono ego ipsis, propter orationem tuam; quod vero contra te loquuti sunt, fac tibi serpentem, necesse enim est, ut facias aliquid manibus, ex quo appareat, quam grave coram me sit peccatum, si quis loquatur contra prophetas meos.* Optime, itaque, Iarchbius, ex eo refutatur, quod sententia, cui figmentum suum, de saphirinis tabulis, superstruit, nullius prorsus momenti sit, quum nondum constet, an lapis tabularum foederis pretiosus, an vero vulgaris, fuerit. Si, enim, tabulae, secundum quorundam sententiam, marmoreae fuissent, certe Moses parum, ex frustis abscissis, lucrari potuisset.

§. VII. *Dimensionem tabularum, in Dissertatione de prioribus tabulis, hunc in locum, reservavimus, quare nunc eandem, quantum per conjecturam assequi licebit, exponemus.* Ante omnia, cum LVNDIO (1), & ABVLENSI (m), supponendum esse censemus, priores, & posteriores, tabulas, quoad dimensionem, prorsus, inter se convenisse, quum, in S. Literis, nulla alia tabularum differentia, quam, quod a diversis fabricatae fuerint, reperiat. Hoc ante constituto, multi, in generalioribus, circa dimensionem tabularum, subsistunt, ac, cum ABVLENSI (n), & CLERICO (o), statuunt, illas non adeo magnas, & crassas, sed, potius, exiguas, atque tenuiores, fuisse. Rationes, quibus haec sententia stabilitur, plurimas, laudatus *Abulensis*, adducit, inter quas illa eminent, quod arca, cui deinde tabulae sunt impositae, non magnae capacitatis fuerit, quamvis

& reliquae

(1) l. c. num. 16. (m) l. c. (n) ad Exod. XXXIV. quaest. 5 fol. 274.

(o) Comment. in Pentateuch. ad Exod. XXXII. 15. f. 161.



& reliquae non sint contemnendae, quod, scilicet, DEVS, nihil superflui, quale nimia magnitudo, & crassitudo, tabularum fuisset, suscipiat, quod, hac ratione, quatuor Levitae illas, cum arca, vix, per longum iter, portare potuerint, quodque, successu temporis, nimium tabularum pondus, fundum arcae perfregerit. Longius, hoc in negotio, *Rabbini* progrediuntur, qui exactam tabularum dimensionem se nosse existimant, quorum mentem, ut eo melius intelligamus, aliqualem cubiti descriptionem praemitemus. De אַמָּה, itaque, seu cubito, sciendum, illum, communiter, ab *Ebraeis*, sex palmis definiri, uti ex *Talmude Babylonico* (p) patet, in quo, cubitus quisque, sex palmorum supputari, dicitur. Datur, tamen, etiam, diversitas quaedam cubitorum, quod, ex sequentibus, R. *Abrahami Harophe* (q), verbis, quae *Buxtorfius* (r) excerpfit, apparet: Sciendum, cubitos, de quibus *Rabbini nostri loquuntur, non fuisse omnes aequales, & ejusdem generis. Nam cubiti Altaris aurei, cornuum, ambitus, & fundamenti, seu fundi ejus, fuerunt quinque palmorum, secundum R. Jehuda in Talm Menachoth cap. XI. in Miscbna V. Et hi vocantur קטנות אמות Cubiti parvi. Verum cubiti structurae templi, & reliquarum rerum sacrarum, fuerunt sex palmorum; secundum sententiam R. Meir, quam omnes sequuntur. His cubitis dimensus est Moses tabernaculum, & vocantur אמות בינוניות cubiti mediocres; quod in Sanctuario cubiti fuerint bis aliquanto majores. Ex quibus verbis constat, cubitum, quo *Rabbini* tabulas foederis metiuntur, quum ipsum sex palmorum faciant, cubitum Mosis fuisse. Iam, quod ad ipsam tabularum dimensionem attinet, sigillatim *Doctores Talmud. Babyl.* (s) & R. *Obad. de Bartenora* (t) docent, tabulas foederis, tam priores,*

B 3

quam

(p) *Traetat. Bava Batra fol. 14. 1.* (q) *in Libro שלשי הגבורים*  
*Seilbe baggibborim Cap. 72.* (r) *Hist. Arcae foederis Cap. VII. Ex-*  
*ercit. p. 85. 86.* (s) *Traetat. Bava Batra f. 14. 1.* (t) *Notis ad*  
*Pirke avotib. Cap. V. num. 6.*

quam posteriores, unum cubitum, qui sex palmos continebat, longas, latasque, crassitudine, vero, dimidii cubiti, fuisse. Unde, autem, haec, tabularum foederis, dimensio *Rabbini* innotuerit, incertum est, in locis, saltem, adductis, nulla argumenta, pro eadem, afferuntur. Nobis, e contrario, rationes non desunt, quae suadent, ne hanc sententiam amplectamur. Primo, enim, verisimile haud videtur, DEVM legem tabulis quadratis inscripsisse, quum neque hoc ad ornatum faciat, neque usu sit receptum. Deinde, hac sua dimensione *Rabbini* quidam, inter quos *R. Meir* reperitur, falsam illam opinionem stabilire volunt, librum legis, una cum tabulis, in arca reconditum fuisse. Nam, ex *Exod. XXV. 10.* constat, Arcae foederis longitudinem duorum & dimidii cubiti; latitudinem vero unius & dimidii cubiti, uti & altitudinem, supputari, ex quo *Rabbini* inferunt, si talis, qualem illi volunt, dimensio, tabulis foederis adscribatur, spatium sufficiens, pro libro legis, remansisse. Nos, quum in probabilitate, circa hanc materiam, subsistendum sit, existimamus, tabulas foederis non *quadratas*, sed *oblongas*, fuisse; longitudinem autem, latitudinem, & profunditatem, tantae Scriptura, exacte determinare non sustinemus.

§. VIII. Quando ad *Scripturam posteriorum tabularum* progredimur, nihil, quod a prioribus distinctum fuerit, observamus. Ita enim, si *auctorem Scripturae* respiciamus, ille nullus alius est, quam ipsum sanctissimum Numen, eo tamen modo, ut aliqui, proprie, aliqui, tantum, jussu & auctoritate sua, idem illud has posteriores foederis tabulas, scripsisse existiment. Illi, qui ipsum DEVM inscriptionis Decalogi, in tabulas posteriores, auctorem faciunt, Scripturam Sacram sequuntur, quae *Exod. XXXIV. 28. Deut. IV. 13. & c. X. 4.* aperte docet, DEVM ipsum, legem, tabulis posterioribus, inscripsisse, quare nos hic acquiescimus, quum pietas & religio a nobis exigant, ut Scripturae S. in omnibus nos submittamus. Neque *Rabbini*, quorum mentem

mentem Io. ADAMVS OSIANDER (u), ex *Collectore quodam*, exponit, quamvis alias, ad fingendum, prouisi sint, hic a Sacris Literis recedunt, sed statuunt, locum difficiliorem, *Ex. XXXIV. 27. & 28.* ex reliquis clarioribus explicandum esse. Mirum, itaque, est, quod inter ipsos *Christianos* quidam reperiantur, qui DEVM, tabulas posteriores, tantum iussu & auctoritate sua, scripsisse somniant, quum tamen nullum stabile, sententiae suae, fundamentum, in Scripturis, inuenire queant. Scinduntur autem hi ipsi in duas partes, siquidem alii, loco DEI, *Mosen*, alii, *angelum creatum*, substituunt. Illi, qui *Mosen* auctorem scriptionis faciunt, inter quos CYPRIANVS (x), & AVGVSTINVS, (y) numerantur, nituntur maxime loco *Exod. XXXIV. 27. & 28.* ex quo duo argumenta, pro sententia sua, eliciunt. Alterum est, quod DEVS Mosei injungat, *ut sibi verba haec scribat*, quod mandatum, neutiquam, scriptionem Decalogi, in librum legis, respicere videtur, quia Moses id, ex mente ipsorum, jam dudum praestiterat. At, vana haec sunt, nullique stabili fundamento superstructa: DEVS enim etiam, quum Moses secundo in monte staret, praecepta quaedam ipsi dederat, quae omnino in librum legis conjicienda erant: imo forsitan neque ista Moses scripserat, quae, eo tempore, quo primum in monte stabat, DEVS ipsi mandauerat, quum *Exod. XXXII. & XXXIII.* hac de re nihil legatur, quare & praeceptum illud: *Scribe tibi verba haec*, ad illa, quae adhuc scribenda restabant, referri potest. Alterum argumentum ex *Cap. cit. v. 28.* deducitur, in quo narratur, Mosen cum DEO quadraginta diebus, & quadraginta noctibus fuisse, panem non comedisse, & aquam non bibisse, cui narrationi statim haec verba annexuntur: *ac scripsit super tabulas verba foederis, verba decem.* Iam, itaque, colligunt, totum hunc versum de Mose agere, quum nullum aliud subjectum in eodem conspiciatur, hinc, necessario, & postrema verba ad Mosen referenda esse.

Sed

(u) *Typo Legis Moralit. thes. CLV. (x) Tractat. de Spiritu S. (y) Tom. IV. quaest. in Deut. Lib. V. cap. 15.*

Sed illud ipsum est, in quo maxime falluntur. Bene enim hic CORN. a LAPIDE (z) monet, talem loquendi rationem, qua nimirum verba quaedam, non ad subjectum propinquius, sed remotius referuntur, licet *Latinis* nova videatur, *Ebraeis* prorsus novam non esse, quippe qui saepe vel verbi suppositum intelligunt, vel remotius aliquod adfiscunt, maxime, si id notum sit, aut alias nominatum. Neque, tamen, opus est, ulterius refutationi hujus sententiae insistere, quum patroni ejusdem nodos, admodum contortos, in eadem solvendo inveniunt. Nam, supposito, Mosen posteriores foederis tabulas scripsisse, quaestio movetur, *quare Moses tabulis, non in eodem loco, ubi easdem dolavit, etiam Decalogum insculpsit?* Rationem hujus rei ABULENSIS (a) sequentem dari posse, existimat: tabulas dolare, & praeparare, nullius auctoritatis & potestatis fuisse, hinc quemlibet, in quolibet loco, id facile praestare potuisse; at, verba Decalogi, quibus *Ebraei* obligarentur, tabulis inscribere, rem majoris momenti judicandam esse, quae specia-liorem Dei praesentiam requisiverit, qualem DEVS, non in loco fabricationis tabularum, sed, in monte Sinai, exhibuerit. Altera quaestio magis impedita est, *quomodo scilicet Moses, tabulas foederis scripsit?* ad quam, dupliciter, responderi potest. Primo, ex mente ABULENSIS (b), eundem instrumenta sculptoria, ex castris, in montem secum attulisse, de quo tamen Scriptura nihil habet; *deinde*, ex mente *Nicolai*, id per miraculum factum esse, Mosen scilicet manum saltem ad scribendum admovisse, sicque confestim, miraculose, literas formasse; quod nihil aliud est, quam suave somnium, & inane figmentum. Hactenus illorum sententiam explicavimus, qui, Mosen tabulas foederis posteriores scripsisse, contendunt. Restant *Abulensis*, alique, in primis, *Pontificii*, qui auctorem hujus Scripturae neque DEVM, neque Mosen, sed *angelum creatum*, faciunt, quae

opinio,  
(z) *Comment. in Pentateuch. ad Exod. XXXIV. 28. f. 596.* (a) *l.c. ad Exod. XXXIV. quaest. 3. f. 272.* (b) *ibid. quaest. 2. f. 271.*

opinio, ex falso ipsorum principio, nascitur: omnia, nempe, quae circa legislationem, a DEO, facta dicuntur, angelo adscribenda esse, quum DEVS horum nihil, per se, agat; quae omnia, quia satis, superque, in *Dissertatione, de prioribus tabulis*, sunt refutata, hic, consulto praetermittimus.

§. IX. De modo scribendi, & ipsa, posteriorum, foederis tabularum, *scriptura*, ut hic prolixè agamus, prorsus, non opus est, quum nulla differentia, hac in re, inter priores, & posteriores, observetur. Majoris necessitatis, & momenti, est, *tempus* eruere, quo tabulae posteriores, a Deo, scriptae, Mosique redditae, fuerunt. Ut autem in hoc calculo eo feliciter progrediamur, ante omnia removenda erit *Rabbinorum, & quorundam Christianorum, Abulensis, scilicet, Cajetani, Lyrani, Salliani*, aliorumque, falsa opinio, Mosem, per quadraginta dies, ter in monte stetitisse, quam, prolixè, & solide, jamjam, BONFRERIUS (c) refutavit, ex quo, proinde, pleraque argumenta desumemus. Primo loco in fundamentum inquirendum, cui error hic superstruitur, quod nullum aliud est, quam perversa interpretatio locorum, *Deut. IX. 18. & c. X. 10.*, in quorum priori Moses refert: se procidisse, coram Iehova, sicut prius, quadraginta dies, & quadraginta noctes, propter omne peccatum populi, quod in DEVM commiserunt; in posteriori, vero, addit, Iehovam, & hoc tempore, se exaudivisse, neque Israellem perdere voluisse. Et sane, si loca haec obiter saltem inspiciantur, primo intuitu omnino svadere videntur, hic non de illa Mosi commoratione, in monte Sinai, qua absoluta, tabulas posteriores accepit, sed plane de alia, qua durante, pro populo sit deprecatus, sermonem esse. Sed, si modo textus rectè attendatur, & cum aliis Scripturae locis rite conferatur, omne dubium prorsus evanesceat. Nam, si id verum esset, quod in his locis, de *40. diebus*, ab istis, quibus finitis Moses priores & posteriores foederis tabulas accepit, distinctis, agatur, necessario, in *Exodo*, hujus rei mentio

(c) *Comment. in Pentateuch. ad Exod. XXXIV. 28. f. 563.*

mentio facta fuisset, quum ista, quae ibi fusius explicata sunt, breviter saltem hic repetantur. Porro nos non moratur, quod Moses dicat, se his *40. diebus*, pro populo deprecatum esse; ex *Exodi* enim *XXXIV. 10.* constat, id illis ipsis *40. diebus*, quibus finitis, tabulas foederis a DEO accepit, contigisse: quare admodum prudenter *Bonfrerius* monet, populum non existimasse, sese de divina ultione securum, donec Moses cum tabulis posterioribus ad eum e monte sit reversus. Tandem patroni hujus sententiae, in primis *Rabbini*, se ipsos, uti *Bonfrerius* perspicue satis ostendit, conficiunt. Etenim illi statuunt, Mosen, cum tabulis posterioribus, *die 10. mensis septimi, Tisri*, rediisse. Iam numeremus a *die 17. Tamuz*, usque ad *10. Tisri*, & inueniemus *81. dies*, ex quibus, si *bis 40. dies* subtrahantur, Moses, una die, vitulum combussisset, Israelitas punivisset, tentorium, extra castra, collocasset, tabulas foederis dolasset, saepius, ex castris, ad tentorium, & ex tentorio, ad castra itasset, quod nemo, facile, sibi persuadere poterit. *Lyranus*, interea, apud *Bonfrerium*, existimat, se modum inuenisse, quo, & haec ipsa ratio, sententiae *Rabbinorum*, qua asserunt, Mosen *die expiationis*, cum posterioribus tabulis, ex monte descendisse, bene conciliari queat. Adornat, autem, calculum suum, hunc in modum: *tres* scilicet *menses pleni*, ab exitu Israelitarum, ex Aegypto, *Nisan, Sivan & Ab*, *tres cavi liar*, *Tamuz & Elul*, ac tandem *10. dies mensis Tisri*, faciunt, si in summam colligantur, *187. dies*, quos *Lyranus*, apud *Bonfrerium*, ut evincat, Mosen, per *40. dies*, *ter*, in monte Sinai steterisse, ita distribuit. Ab initio mensis *Nisan* ad promulgationem legis *64. dies* numerat, deinde *120. dies* infarcit, quibus si *64. dies* addantur, summa, *184. dierum*, prodibit, ut, adeo, pro reliquis rebus expediendis, *tres dies* remaneant. Haecenus ratio haec *Lyrani* procedere videtur, at, si accurate ad tempus legislationis, & primae ascensionis, examinetur, eandem admodum vitiosam esse, apparebit. Nam si, vel maxime, cum *Bonfrerio*, non attendamus, an dies egressus reliquis

annume-

annumeretur, nec ne? sufficit nobis, si ostendamus, ab initio mensis *Nisan*, usque ad promulgationem legis, non 64. sed 65. dies numerandos esse. Illud, autem, exinde, in primis, patet, quod Israelitae 15. die, mensis *Nisan*, ex Aegypto, exiverint, & sexto, mensis *Sivan* lex promulgata fuerit. Iam, si 30. dies mensis *Nisan*, 29. mensis *Iar*, & 6. mensis *Sivan*, colligantur, exacte, summa 64. dierum prodibit, quo evicto, *Lyrano* non nisi unus, vel, si liberaliores esse velimus, duo dies remanebunt, quibus Mosen vitulum fregisse, combussisse, populo bibendum propinasse, multos interficiendos curasse, & ex castris saepe ad tentorium, & rursus ex tentorio ad castra, itasse, statuendum foret, quod tamen nemo ipsi facile conceder. Manemus, itaque, in communi, & plurimis recepta, sententia, non nisi 80. dies Mosen, in monte Sinai, exegisse. Hoc superato, ipsam temporis, quo tabulae posteriores Mofi datae fuerunt, investigationem aggredimur, circa quam, uti huc dum factum, in annum, mensis, & diem inquiremus. *Annus* idem ille est, quo Israelitae ex Aegypto exiverunt, lex promulgata fuit, Moses priores tabulas a Deo accepit, & posteriores dolavit, nempe 2514. M. C., ut adeo hic nulla difficultas reperiat. Quid vero de mense, & de die sentiendum sit, vix per conjecturam, & probabilem aliquam rationem indagare licet, quum Scriptura tempus, quo Moses in montem ascendit, non determinet. Hoc non obstante, CORN. a LAPIDE (d), qui tamen sententiae illi, quod Moses 120. dies in monte exegerit, adversari videtur, existimat, Mosen, secundo, 18. die, mensis *Tamuz*, montem ascendisse, & 28. die, mensis *quinti*, i. e. *Ab*, cum posterioribus legum tabulis cornutum, descendisse, quem computum, ex *Exod. XXXII. 30. & 31.* nec non *c. XXXIV. 28.* adstruere conatur. Veremur tamen, ut ex utroque loco *Cornelius* id, quod intendit, eruere queat. In priori enim equidem dicitur, Mosen montem postridie ascendisse, quod vero verba illa non de ascensu isto, post quem Mo-

C 2

ses

(d) *Comment. in Pentateuch. ad Exod. XXXIV. 28. f. 596.*

ses per 40. dies in monte Sinai stetit, atque posteriores tabulas accepit, intelligenda sint, ex sequentibus adstruitur, quum demum *Exod. XXXIV. 1.* post hunc ascensum, Mosi, a DEO injungatur, ut tabulas foederis posteriores praecidat. Nec aliquid potest posterior locus, a *Cornelio* adductus; siquidem nihil aliud in illo traditur, quam, Mosen, postquam, secundo, in monte, Sinai, 40 dies, & 40 noctes, exegisset, tabulas posteriores accepisse, nullo modo, autem, certum tempus, quo illud factum sit, determinatur. *Rabbini, & alii, ex Christianis*, longius tempus exhibitionis, posteriorum tabularum, ad 10. scilicet diem, mensis *Tisri* extendunt, quo, postea, *solemne Expiationis festum* celebratum fuit. Ratio, qua hanc suam sententiam stabiliunt, inde est petita, quod, tunc demum, quum Moses cum tabulis posterioribus rediisset, populo certo constiterit, se jam plene DEO reconciliatum esse, hincque nullum alium, per totum annum, aptiorem diem, quam illum, quo Moses, secundo, ex monte, redierat, pro *festo Expiationis*, inveniri potuisse. Quae ratio, si recte attendatur, plus probabilitatis in se habet, quam traditio illa, de *pentecoste Ebraeorum*, in memoriam promulgationis legis, instituta; quare, quum in primis inter descensum Mosi, cum tabulis prioribus, & ascensum, cum tabulis posterioribus, multi dies intercesserint, ac praeterea probabilior sententia non reperitur, tantisper, missa aliorum, de commoratione Mosi, per 120. dies, in monte Sinai, fabula, usque dum veriora nobis innotescant, statuimus, Mosen, 29. die, *Mensis Ab*, cum tabulis posterioribus, montem conscendisse, 10. die, mensis *Tisri*, *festo* scilicet *Expiationis*, eadem, digito DEI, scriptas, accepisse, & ex monte, ad castra Israelitarum, rediisse.

§. X. Benigniora fata posteriores foederis tabulae, prioribus, postquam e monte delatae essent, sunt expertae: non, enim, fractae, sed in arcam foederis repositae, cum arca, in Sanctum Sanctorum collocatae, ac sollicitè admodum asservatae fuerunt.



fuerunt. Hujus rei causam ABVLENSIS (e) in eo quaerit, quod posteriores legis tabulae legem novam, quam Christum, in monte sedentem, *Matth. V.* tulisse, existimat, repraesentaverint, quam tamen, quum falsum sit, Filium DEI, *εὐσχορπον*, legem tulisse, non magni, imo nullius momenti esse, judicamus. Neque multum, in hoc negotio, ratio CEDRENI (f) valet, qui statuit, posteriores tabulas, ideo, integras permanfisse, quia exemplum legis spiritualis exhibuerint; quoniam priores & posteriores tabulae eandem legem moralem in se continebant. Optimum, hinc, est, statuere, DEVM propter foedus, cum *Abrahamo, Isaaco, & Iacobo*, initum, ipsorum posteros, penitus, abjicere noluisse, in primis, quum seriam poenitentiam egerint, atque Moscholatriam suam magno dolore, deploraverint, ideoque, in signum reconciliationis, non saltem tabulas, prioribus similes, ipsis concessisse, verum etiam integras & illaefas conservasse. Quum, itaque, tabulae posteriores integrae servatae, priores vero fractae sint, *Rabbini*, ansam disceptandi nanciscuntur, *utrum priores posteriores, an vero posteriores priores praestantia sua superaverint? Posterius R. Saadias*, a DRVSIO (g) citatus, maxime, hac ex ratione, affirmat, quod priores tabulae *17. mensis Tamuz*, & sic, *die profano*; posteriores autem, *sacro, ipso*, scilicet, *Expiationis festo*, datae fuerint, quam tamen contribulis ipsius, videlicet, *R. Aben Ezra* refutat. Et sane non facile *R. Saadias* nobis probabit, hoc anno *festum Expiationis* celebratum esse, quum demum postea institutum fuerit. Prius, *Abulensi & Drusio*, cum *R. Aben Ezra*, placet, ideo, quia priores tabulas DEVS & fabricaverit, & legem ipsis inscripserit. Nos utrumque, suo modo, verum esse statuimus. Priores posterioribus praestantiores fuerunt, quia DEVS illas & fecit, & scripsit;

C 3

posteriorio-

(e) *l. c. ad Exod. XXXII. quaest. 22. f. 216.* (f) *Compend. Hist. tom. I. f. 77. Edit. Paris.* (g) *Notis major. ad Exod. XXXIV. 1. Bibl. Crit. t. I. Part. I. f. 343.*

posteriores vero priores superarunt, quia priores fractae sunt, posteriores autem integrae permanserunt.

§. XI. *Quorsum, tandem, tabulae foederis posteriores repositae sint*, facile, Scriptura S. duce, assequimur, quum *Exod. XL. 20.* expresse, asseratur, Mosen, in *Arcam foederis*, testimonium recondidisse; ut adeo hic nihil prorsus monendum veniat, praeterquam, quod arca, FR. FORTVNATO SCACCHO (h) annotante, ob sanctitatem tabularum, divinitate quasi characterizarum, in consecratione, circumquaque, tam intus, quam foris, oleo sacro inuncta fuerit. Ubi vero tabulae posteriores aservatae sint, antequam arca foederis, a Bezaleele, perficeretur, quod demum, elapsis *septem mensibus*, factum esse, ABVLENSIS (i) contendit, specialissime, ex sacris literis, non constat, quare in diversas sententias scriptores iverunt. *Rabbini*, in primis, qui duas arcas, alteram a *Mose*, alteram a *Bezaleele*, fabricatam fingunt, existimant, tabulas foederis posteriores in arcam Mosis, ubi jam fragmenta priorum tabularum collocata erant, usque ad perfectionem arcae Bezaleelis, repositas fuisse. Sed falsum est, quod *Rabbini* hic supponunt, duas arcas, Mosis scilicet & Bezaleelis, extitisse, quae omnia, in *Dissert. de Tabulis prioribus* (k), fusius sunt pertractata. Tutissimum hinc est, statuere, Mosen, postquam e monte Sinai rediisset, tabulas foederis in *tentorium conventus* reposuisse: quoniam in omnibus Israelitarum castris sanctior locus non reperiebatur. An vero tabulae foederis, in tentorium conventus illatae, ibidem in scamno, mensa, lectulo, reposito, vel arca aliqua aservatae fuerint, id nos ignorare fatemur.

§. XII. *Quo tempore posteriores foederis tabulae, in arcam sint repositae*, ex *Exod. XL. 2.* clare patescit, ubi a Deo Mosis iungitur, ut *die primo mensis primi*, tabernaculum erigeret, & in illud arcam testimonii, cum propitiatorio, inferret, ut adeo videatur

(h) *Sacrorum Elaeochristatow Myrothecio II. scil. consecrationis cap. XVI. fol. 367.* (i) *l. c. ad Exod. XL. quaeß. 7. f. 354.* (k) *Seß. II. §. 22.*

videatur illud *A. M. 2515, die primo, mensis Nisan*, contigisse, cui tamen SCACCHVS (1) repugnat, dum arbitratur, tabulas demum, absoluta consecrationis septimana, arcae inclusas esse. At huic sententiae aperta Scripturae litera reclamationat. Quid enim clarius *v. 20. cit. capitis*, collato cum *v. 16.* esse potest, ubi expresse dicitur, Mosen, die primo, mensis primi, testimonium in arcam foederis reposuisse. Accedit porro *Levit. IX.* quo in capite ista, quae octavo die mensis primi peracta sunt, describuntur, nullam mentionem hujus rei injici, sed potius supponi, arcam, cum testimonio, jamjam in Sanctum Sanctorum illatam fuisse. Nam *v. 24.* narratur, radium igneum ab arca ad altare egressum esse, ibidemque holocaustum & adipem consumsisse. Restat alia adhuc controversia, circa tempus, quo tabulae foederis arcae illatae sunt, evolvenda; *An, nimirum, testimonium, ante impositionem operculi, an, vero, postea, demum, in arcam, reconditum fuerit?* Movent hanc quaestionem *Rabbini*, cujus fundamentum est locus *Exod. XXV. 16. & 21. Versu enim 16.* haec verba leguntur: *וְנָתַתְּ אֶל־הָאָרוֹן אֶת־הָעֵדוּת אֲשֶׁר אֶתָּן אֵלֶיךָ* *Et pones in arcam testimonium, quod tibi dabo;* unde colligi posse videtur, DEVM jubere, facta arca, statim in eam tabulas foederis reponendas esse, antequam adhuc ipsum propitiatorium fabricaretur. *Versu autem 21.* post praeceptum de propitiatorio faciendo, DEVS ita loquitur: *וְאֶל־הָאָרוֹן תָּתִן אֶת־הָעֵדוּת אֲשֶׁר אֶתָּן אֵלֶיךָ* *Et in arcam pones testimonium, quod tibi dabo,* quae verba svadere videntur, demum, imposito operculo, testimonium arcae illatum esse. Sed, si dicendum, quod res est, inepte hic locus pro fundamento hujus controversiae affertur; Spiritus Sancti intentio enim hic non eo se extendit, ut omnia, quae adducuntur, secundum exactum temporis ordinem describeret, sed, ut Mosi omnes tabernaculi & apparatus ejus partes conficiendas, distincte mandaret. Quamvis, autem, praeter rem, haec quaestio moveatur, non, tamen, male, ab

(1) *l. antea c.*

ab ipsis *Rabbis*, quorum cumulum insignem *BVXTORFIVS* (m) adduxit, deciditur. *Abarbanel*, inter illos, sequentem in modum, haec loca conciliat: *Quum jam v. 16. hoc dixerit; hic, illud repetendo, vult indicare, non debere illum (Mosen) operculum arcae superimponere, nisi posteaquam indiderit in eam tabulas testimonii.* R. *Levi ben Gerson* hac de re sic loquitur: *Secunda vice hic commemorat, vel repetit praeceptum de inferendo testimonio in arcam, ut doceat, non debere imponi arcae operculum, nisi posteaquam illatum fuerit in illam testimonium, ne defectus aliquis in ea existat.* R. *Salomon* dubius quaerit: למה נכפר: *Nescio, quare hic repetatur, istud praeceptum: jam enim supra v. 16. dixerat: Et ponas in arcam testimonium, tandem, vero, ad quaestionem hanc ita respondet: Dicitur potest, fieri hoc ad docendum: שבעורו ארון לברו בלא כפרת יתן תחלה הערות לתוכו ואחר כך יתן הכפרת עליו וכן מצונו כשהקים את המשכן נאמר ויתן את הערות אל הארון ואחר כך וישם את הכפרת על הארון מלמעלה:* *Arca adhuc sola sine operculo existente, indendum esse ei testimonium. Sic, enim, in erectione tabernaculi dicitur, primo; tulitque & posuit testimonium in arca, deinde; & propitiatorium posuit super arcam, superne.* Quae omnia, quum neque Scripturae S. contraria sint, neque incommoda quaedam secum ducant, tanquam veritati conformia, haectenus, admittimus.

§. XIII. Tempore, quo tabulae foederis in arcam sunt illatae, ostenso, videndum nunc, quomodo eadem in arca collocatae fuerint? R. *Iuda Leo*, apud *LUNDIVM* (n), existimat, occupasse illas omnem arcae capacitatem, nisi verba ejus ita intelligenda sint, quod nihil, praeter tabulas foederis, in tota arcae capacitare extiterit, quem sensum, tamen, *Sauberti* versionem, quae ita se habet: *Impleverunt, autem, omnem locum vacuum in arca, prorsus non admittere, Lundius* contendit. Posito, itaque,

(m) *Hist. arcae foederis Cap. IX. Exercit. p. 105. & 106.* (n) *Von den alten Jüdischen Heiligthümern l. c. num. 26.*

que, hanc esse mentem *R. Iudae Leonis*, ipse mox se, vel saltem contribules suos, conficiet, quum sententia communis *Rabbinorum* sit, tabularum longitudinem, & latitudinem, *sex*, profunditatem vero *trium palmorum* fuisse. Si enim tabulae foederis in arca, vel juxta se, vel una super aliam, collocentur, adhuc multum spatii remanebit. Si juxta se collocentur, longitudinem arcae non explebunt, latitudinem vero superabunt; nam arcae longitudo erant *duo & dimidius cubitus*, tabularum vero tantum *unus cubitus*, & latitudo arcae continebat *unum & dimidium cubitum*, at tabulae ambae ad *duos cubitos* se extendebant. Porro, si altera tabula, super alteram, ponatur, neque longitudo, neque latitudo, neque altitudo, arcae implebitur. Longitudo arcae, uti jam dictum, *duorum & dimidii cubiti*, sed longitudo tabularum, tantum, *unius cubiti* erat; latitudo arcae comprehendebat *unum & dimidium cubitum*, latitudo autem unius tabulae, tantum, *unum cubitum*; tandem altitudo arcae, itidem, ad *unum & dimidium*, altitudo vero tabularum ad *unum*, saltem, *cubitum* se extendebat, ut adeo nihil profus, quod verisimile esset, in hac opinione reperiatur. Aliter tabulas foederis in arca collocat *Talmud Babylonicum* (o), quando illas, secundum latitudinem arcae, dispositas fuisse statuit. Pergit deinde, atque quaerit: *כמה לחורת אוכלות הארון? Quantum, itaque, spatium occuparunt tabulae in arca? & mox respondet: שנים עשר טפחים נשתיירו שם שלשה טפחים צד מהן טפח הציור לכותל זה וחיצו לכותל זה נשתיירו Duodecim palmos: unde tres manserunt residui, ab his detraxe palmum, dimidium scil. pro latere uno, & dimidium pro latere altero, residui manent palmi duo, in quibus collocatus erat liber legis. Haec, ita, juxta *Talmud Babyl.* quoad longitudinem arcae, se habent, quoad latitudinem, vero, tabulae foederis, tantum, *unum cubitum*, residuis tribus palmis, occupasse, *Rabbini*, eodem in loco,*

D

conten-

(o) *Tract. Bava Batra f. 14. 1.*

contendunt. Iam si iudicium nostrum, hoc in negotio, requiratur, censemus, posteriorum tabularum foederis collocationem, probabilitate maxima, se tueri, saltem, quod cum *Rabbins*, in ipsa tabularum dimensione, quum nos illas *oblongas*, isti autem *quadratas* faciant, non conveniamus. Ratio vero, quae nos mover, ut posteriorem collocationem arripiamus, in primis illa est, quod, si altera tabula super alteram posita credatur, metuendum fuerit, ne, quando arca portaretur, una ex altera deiceretur, atque sic vel laederetur, vel frangeretur. Tandem, quod non secundum latitudinem, sed secundum longitudinem, tabulae juxta se posita fuerint, arcae in primis dimensio evincit.

§. XIV. Post investigationem collocationis tabularum foederis, jam dispiciendum, *an eadem solae, an, vero, cum iis, et aliae res sanctiores, in arcam posita fuerint?* Hac de re jam multi inter Criticos, ex quibus aliquot, *ad calcem sequentis §.* adducemus, & fusa & erudite exposuerunt, quare hic non prolixiores erimus, sed tantum ista, quae scopum nostrum ferunt, & illustrationi Dissertationis nostrae inserviunt, brevissimis apponemus. Omnes autem, qui hac de controversia sententiam suam dixerunt, in duas sunt distingvendi classes: alii enim affirmant, praeter tabulas foederis posteriores, aliquid in arca fuisse, alii vero id inficiantur. Quod ad illos attinet, quum variae res, *XII. scil. lapides, ex Iordane, jussu Iosuae, elevati, tabulae fractae, liber legis, urna Mannae, & virga Aaronis,* ab iisdem arcae includantur, ordine, secundum has res, procedendum erit. Primo itaque loco ad istos nos conferimus, qui *XII. lapides, quos Iosua, ex Iordane, elevari curaverat,* in arcam foederis postea impositos fuisse somniant, inter quos ex mente *DRVSII (p), & MASHI (q) FERTVLLIANVS (r)* est referendus, qui his, adversus *Marcionem*, usus est verbis: *Et duodecim, inquit, lapides, ab Iesu de Iordane lectos, & in arcam testamenti conditos,*

depre-

(p) ad Ios. IV. 20. & Hebr. IX. 4. conf. & ad Exod. XXV. 21.

(q) ad Ios. IV. 20. (r) Libr. IV. adversus Marcionem.

deprehendo, totidem, enim, Apostoli portendebantur. Haulit Ter-  
 tullianus hanc mirabilem prorsus sententiam, sine dubio, ex  
 Pseudo-Philone, qui, in *libris antiquitatum*, scribit: *A Cenez, po-*  
*sitos fuisse in arca 12. lapides, quibus inscripta nomina 12. tribu-*  
*um: Et sunt, inquit, illi lapides, in arca foederis Domini, in bodi-*  
*ernum diem.* At haec sententia non saltem Scripturae S., uti  
 reliquae omnes, quae, praeter tabulas foederis, aliquid in ar-  
 cam inferunt, contradicit, quum aperte *1. Reg. IIX. 9.* omnia,  
 praeter posteriores foederis tabulas, ex arca penitus excludan-  
 tur; verum etiam multa incommoda secum ferre videtur. Nam,  
 hac ratione dicendum foret, lapides illos valde exiguos fuisse,  
 cui tamen *Iosuae C. IV.* repugnat, in quo refertur, Iosua XII.  
 viros, ad XII. lapides, ex Iordane elevandos, ordinasse, eosdem-  
 que, in *Gilgal*, tanquam signum, erexisse, quae omnia svadent,  
 ut lapides illos non adeo exiguos concipiamus. Praeterea, la-  
 pides illi in *Gilgal* permanserunt, ut omnes illuc venientes, mo-  
 nerent, hoc in loco primum Israelitas, post ingressum in ter-  
 ram *Canaan*, castra metatos esse. Imo *Masio* videtur, quasi *Hie-*  
*ronymus*, in *Paulli Epitaphio*, scribat, hos lapides adhuc suo tem-  
 pore in *Gilgal* adfuisse. Et quid multa refutatione hic opus est,  
 unicum hoc sufficit, Scripturam hac de re nihil habere, quare,  
 quum de tabulis fractis, in *Dissert. de prior. tab. (s)* actum sit,  
 ad illos potius nos convertimus, qui existimant, *librum legis*,  
 praeter tabulas posteriores, locum in arca invenisse. Inter hos,  
 ex *Christianis*, vix aliquis, ex *Rabbinis*, vero, multi reperiuntur,  
 ex quorum multitudine duos, *R. scil. Meir, & R. Abarbanelem*,  
 allegasse sufficiat. *R. Meir*, de quo tam in *Talmude Babyl. (t)*,  
 quam *Hierosolymitano (u)*, agitur, ex capacitate arcae colligeri  
 videtur, librum legis in arca fuisse, re ipsa tamen, haec ipsius  
 ratio, nihil valet; propter capacitatem enim, & aliae res, arcae  
 includi potuissent. *R. Abarbanel* firmiter sententiae suae funda-

D 2

mentum,

(s) *Secl. II. §. XXII.* (t) *Tract. Bava Batra, f. 14. l.* (u) *Tract.*

משפטים cap. VI.

mentum, in loco *Deut. XXXI. 26.*, se reperisse putat, ubi Moses Levitis praecipit, ut librum legis, quem alii, pro solo Devteronomio, alii, pro integro libro legis, habent, מצר ארון ברית יהוה a latere arcae foederis Iebovae ponant, quod Abarbanel de interiori arcae parte intelligit, uti id sequentia ipsius verba testantur: וראוי היה שיושם ספר התורה מצד הארון כי לפי שהיו לוחות הכרית שהם אוצר התורה וכוללים לכל מצותיה היה ראוי שתרכב התורה האלהים ללוחות והם: *Et sane decuit, ut liber legis, in latere arcae, (seu in arca) poneretur: quia, enim, in ea fuerunt tabulae foederis, quae sunt thesaurus legis, et quae comprehendunt omnia praecepta ejus, conveniebat, utique, ut tabulis adhaereret, & adjungeretur, lex divina, quia illa se, ad invicem, habebant, ut universale & particulare.* Atque sic equidem Abarbanel mentem suam nobis exposuit, nondum tamen demonstravit, quomodo haec sententia necessario ex textu deducatur. Eodem enim jure nobis affirmare licet, extra arcam, in latere arcae, librum legis repositum fuisse, quo jure Abarbanel, eundem, intra arcam, collocatum existimavit. Neque tantum pari, verum etiam majori jure id nobis licet, quum Scripturam *1. Reg. VIII. 9.* ducem habeamus, quem locum tamen, quamvis sole clarior sit, ABARBANEL (x) ad suam opinionem detorquere studet, quando eundem ita explicat: אין בארון רק שני לוחות אבנים, ר"ל אין בארון דבר אחר לא מצננת המן ולא מטה אחרת ולא דבר קדושה אחרת כי אם התורה האלקית, חה אם הלוחות השניים, ר"ל השלמות והנשברות, כי על כלם נאמר שני הלוחות כפי מכתבם, ואם התורה והמצות אשר כרת השם עם בני ישראל בהוציא אותם מארץ מצרים שהיו שם כספר התורה אשר כתב משה, ולזה כון באמרו אשר כרת כי הלוחות לזאת כרת עם ישראל כי אם התורה והמצות, ויחסר בכתוב הזה וי"ז אחר, כאלו אמר אין בארון

(x) *Comment. in Prophet. priores ad 1. Reg. VIII. 9.*



בארון רק שני לחות האבנים אשר הניח משה בחורב, ואשר  
 כרת עם בני ישראל שהיה ספר התורה: *Nihil fuit in  
 arca, praeter duas tabulas lapideas: vult Scriptura dicere, nulla  
 alia res fuit in arca, non urna Mannae, non virga Aaronis, vel  
 ulla alia res sancta, sed sola Lex divina, eaque, tum in tabulis  
 utrisque, tam integris, quam fractis; eo, quod de omnibus dica-  
 tur, quod sint duae tabulae, juxta scripturam ipsarum; tum et-  
 iam in lege, & praeceptis, comprehensa, quam (legem) pepigit  
 DEVS cum filiis Israel, quum educeret eos ex Aegypto, quaeque  
 tum comprehensa fuerunt in libro legis, a Mose scripto, & haec est  
 intentio (Scripturae) quando dicit: אשר כרת, quoniam tabulas  
 non pepigit DEVS cum Israele, sed legem & praecepta. Deficit  
 autem in hoc Scripturae loco litera una ך (K), quasi diceretur: Ni-  
 bil in arca, nisi duae tabulae lapideae, quas deposuit Moses in Ho-  
 reb, & id, quod pepigit DEVS cum filiis Israel, quod est liber le-  
 gis. Ingeniose sane haec Abarbanelis interpretatio concepta est,  
 nihilominus tamen vel tribus verbis ex ipso textu refutatur.  
 Verba enim אשר כרת non respiciunt vocem לוחות, sed potius  
 nomen ברית, ut adeo lex, tanquam conditio foederis, cum ipso  
 foedere non sit confundenda. Atque haec causa fuit, quare  
 ipsi Abarbanelis contribules ab ejusdem sententia manifeste re-  
 cederent, inter quos in primis R. SAM. LANIEDO (y) notandus  
 venit, qui studio quasi dataque opera Abarbanellem redarguit,  
 dum statuit, sensum verborum אשר כרת עם בני ישראל esse  
 de decem praeceptis, quae in tabulis scripta fuerunt, non vero  
 de libro legis capiendum. Ex quibus omnibus tandem sequitur,  
 R. Abarbanelis sententiam hac in parte nullam approbationem  
 mereri, & adeo adhuc certum esse, nihil in arca, praeter tabu-  
 las foederis posteriores, extitisse. Ultimo, tandem, illos attingimus,  
 qui urnam Mannae, & virgam Aaronis in arca fuisse,  
 contendunt. Inter hos LVNDIVS (z) numerat SCHINDLE-*

D 3

RVM

(y) in Celi Iakar כלי יקר f. 411. & 412. (z) h. c.



RVM (a), OSIANDRVM (b), ADRICHOMIVM (c), & HEIDMANNVM (d), quibus ABVLENSIS (e) adjungi meretur. Firmissimum ipforum argumentum est, quod *Auctor Epistolae ad Ebraeos*, qui sine dubio est *Paulus Apostolus c. IX. 4.*, claris verbis affirmet, urnam Mannae, & virgam Aaronis, cum tabulis foederis in arca exitisse, quem locum *sequenti §.* fusius explicabimus. Hic saltem monemus, Scripturam sibi per *αδυνατων* contradicere non posse, hincque necessario, quum *i. Reg. VIII. 9.* omnia, praeter solas tabulas, ex arca penitus excludantur, mentem Pauli, longe aliter, quam citati Auctores existimant, exponendam esse. Nihil itaque illi obtinent, qui, propter hunc locum, auctoritatem totius hujus ponderosae admodum *Epistolae* in dubium vocant, a quibus certe *Cajetanus*, cujus mentem ESTIVS (f) exposuit, alienus non videtur, quando suspicatur, Auctorem hujus Epistolae, Scripturam Exodi & Numerorum, non bene intellexisse: ut, quae iussa sunt reponi *coram Domino*, sive *coram testimonio Domini*, putaverit mandata, ut in arca servarentur. Neque R. *Lusitanus*, a MVLLERO (g) jam confutatus, qui in *Colloquio Mittelburgenfi*, Auctori hujus Epistolae insultat, & uti CARPZOVIVS (h) loquitur, eum, velut rerum V. T. ignarum, indignis modis exagitat, hic aliquid efficiet, quum in propriis fratrum suorum sententiis hoc inveniat, quod in Paulo impudenter carpit. Ita *Abarbanel* scribit: כתבו המפרשים לנאמר הכתוב בורה לשלול שליל הנה בו צנצנת המן ומטה אהרון כמו שבא בקבלתם ז"ל הגברים האלה ר"ל צנצנת המן ומטה אהרון היו בארון משמרת לפני ישראל:

h. e. *Interpretes scribunt, Scripturam, his verbis, non negare, quod*

- in ea*  
 (a) *Lex. Pentaglot. in מין p. 223.* (b) *ad i. Reg. VIII. & Ebr. IX.*  
 (c) *Theatr. terrae S. in descriptione Hierosol. num. 77.* (d) *Palaeft. cap. II. §. 37.* (e) *l. c. ad Exod. XXV. quaest. u. f. 35. it. quaest. 15. fol. 38.* (f) *Comment. in omnes Pauli & Catbol. Epist. ad Ebr. IX. 4. f. 991.* (g) *in Iudais. p. 1364.* (h) *Dissert. de arca foederis Domini, Cap. V. §. 2. p. 36.*



in ea fuerit urna Mannae, & virga Aaronis, sicut habetur in Cabala, seu traditione quadam, Rabbinorum nostrorum, piae memoriae, quod res istae, urna scil. Mannae, & virga Aaronis, fuerint in Arca custoditae, pro filiis Israel. Hujus loci occasione Bvxtorpius (i) miratur, cur Abarbanel in genere dicat, *Interpretes scribunt*, quum haecenus ex omnibus non nisi unicum R. L. Ben Gerson, huic sententiae faventem, invenerit. Quicquid autem sit, sufficit hic unicus testis, ad R. Lusitanum refutandum, quum sequentia ipsius verba (k), exactam cum Paulo convenientiam testentur: *זה לא ישלח שלא היו שם הרברים שנוכרו בתורה שהם מונחים בו כמו מטה אהרן וצנצנת המן אך שלל כזה שלא היה שם מהתורה רק עשרת הרברים*: *His verbis*, inquit, *non negatur eas res fuisse in arca, quas in ea postea fuisse Lex affirmat, nempe virgam Aaronis, & urnam Mannae, sed praeter X. praecipua, ex lege aliquid positum fuisse, id vero est, quod ibi negatur, quoniam illa continebant summam totius Legis.* Transigat itaque R. Lusitanus prius cum socio, antequam Apostolum erroris cujusdam, vel ignorantiae, convincere audeat, si enim Gersonis verba, secundum mentem Scripturae, interpretabitur, simul Paulum V. T. conciliabit.

§. XV. Longe melius illi sibi prospiciunt, qui rotunde negant, arcam quicquam, praeter tabulas foederis, continuisse. Habent in eo ducem Scripturam, quae 1. Reg. VIII. 9. & 2. Paralip. V. 10. aperte inficiatur, aliquid, praeter tabulas foederis, in arca fuisse, quibus BRAVNIUS (l) oraculum, Exod. XL. 20., tanquam admodum notabile adjungit, in quo refertur, Mosem, postquam testimonium in arcam collocasset, vectesque apposisset, operculum, atque propitiatorium, arcae imposuisse, nulla mentione, de ulla alia re, arcae inclusa, facta. Unicus ob stare videtur

(i) *Hist. arcae foederis, Cap. V. Exercit. p. 69.* (k) *Comment. ad 1. Reg. VIII.* (l) *Comment. in Epist. ad Ebr. ad b. l. p. 498.*

videtur locus, *ad Hebr. IX. 4.* antea jam memoratus, in quo Paulus, cum tabulis, urnam Mannae, & virgam Aaronis, conjungit. Hunc, ut *Commentatores*, & *Interpretes*, Scripturae V. T. conciliarent, pari equidem conatu, sed impari eventu, laborarunt, unde fere tot sententiae, quot *Commentatores*, hunc in locum, extant, ortae fuerunt, quas nunc brevissimis recensimus, & tandem verisimillimam adjiciemus. Primo loco illi sunt ponendi, qui in tempore subsidium aliquod conciliationis quaerunt, inter quos haec differentia intercedit, quod quidam, *de tempore tabernaculi*, quidam, *de temporibus post Salomonem*, quidam, *de suis temporibus*, Apostolum locutum esse, existiment.

*Tempore tabernaculi* virgam Aaronis, & urnam Mannae, in arca fuisse, & postea, exstructo templo, extractam esse, *Sanctius*, *Catharinus*, *Rosfaeus*, *Grotius*, aliique, contendunt, & hac ratione Paulum V. T. conciliare allaborant. Probant id ex necessitate rei, tabernaculum, scilicet, nullum habuisse fixum locum, hincque Mosen urnam & virgam, ut contra injuriam tempestatis muniretur, arcae inclusisse. Verum enim vero tota haec res testimonio Scripturae confirmanda esset, quod tamen ab illis, qui huic sententiae favent, adduci non potest; necessitas namque rei hic non sufficit, quum & alius modus excogitari queat, quo, tempore Mosis, urna Mannae, & virga Aaronis, contra injuriam tempestatum, muniri potuerit. Praeterea, multae extant rationes, quare haec sententia non admitti queat. Illarum tres, ex variis Auctoribus POLVS (m) collegit, quarum prima est, quod satis constet, hoc, ad eludendam vim argumenti, excogitatum esse, quum nihil, ex Scriptura, aut ex veterum historiis, proferri possit, quo hoc commentum nitatur. Secunda inde desumitur, quod urna & virga reponenda fuerit *coram Domino*, *Exod. XVI. 33.* & *Num. XVII. 10.* ac *coram testimonio*, i. e. *coram arca*, quae Dominum repraesentabat. Tertia, tandem, ad silentium Scripturae provocat, quod scilicet nullibi in sacro Codice

(m) *Synops. Crit. Vol. IV. Parte posteriori ad Eb. IX. 4.*

Codice mandatum aliquod de virga, & urna, in arcam reponenda, inveniatur, nec ullum, in S. Literis, mutationis hujus, sit fundamentum. His LVNDIVS (n) addit, non esse credibile, arcam, unquam, nisi a *Bethsemitis*, quum eadem, ex terra Philistaeorum, reduceretur, apertam fuisse, quos etiam DEVS, ideo, graviter punivit.

Non majori probabilitate illi nituntur, qui Paulum de temporibus post Salomonem loqui statuunt, quorum praecipui sunt *Chrysostronus* & *Theophylactus*, cum quibus & FRIEDLIBIVS (o) facere videtur, quamvis sibi ipsi non constet, quum alio in loco (p) dicat, Historiam Regum loqui de temporibus Salomonis, Paulum vero, de temporibus Mosis. Huic sententiae adversatur, quod Paulus non de templo, sed de *συναγωγή*, seu tabernaculo, agat, & Scriptura de mutatione illa nihil commemoret: quod posterius dubium alii, hac ratione, evitare volunt, potuisse Paulum hoc ex traditione, vel praeceptore suo, *Gamalielle*, habere, quomodo eundem, & illud, de nominibus *Iannes* & *Iambres*, 2. *Tim.* III. 8. & *Iudam* illud, de *Prophetia Enochi* accepisse putant.

Tandem, inter illos, qui ex diversitate temporum, locum Pauli V. T. conciliare volunt, quidam contendunt, Paulum non loqui de tempore, quo arca in templo Salomonis reposita fuit; hoc, enim, arcam tantum tabulas legis comprehendisse, sed, de tempore, quo Paulus scribebat. Hujus opinionis RIVETVS (q) mentionem facit, neminem tamen, qui eidem faveret, expresse adducit, ipse, vero, eandem refutat, quia probari non potest, eo tempore arcam superstitem fuisse, &, quia Paulus non ad templum, sed ad tabernaculum, respicit.

Quum itaque solutio, a diversitate temporum, petita, non procedat, aliam quandam *Jacobus Stapulensis*, a GVILIELMO

E

ESTIO

(n) *l. c. Num. IV.* (o) *Theol. Exeget. V. T. Observ. in Lib. I. Regum artic. I. Class. II. cap. VIII. 9. f. 383.* (p) *Theol. Exeget. N. T. in Epist. ad Ebr. class. II. c. IV. 4. num. 10. fol. 313.* (q) *OO. Theol. tom. I. Comm. in Exod. c. XXV. 16. f. 113.*

ESTIO (r) allegatus, adfert: Existimat, enim, primum hanc Epistolam, Ebraeo idiomate, fuisse conscriptam, quamvis ita non amplius extet, sicque nobis non constare, qua praepositione Paulus sit usus, sibi interea admodum probabile videri, scribit, textum *Ebraeum* habuisse, *cum qua*, & hujus loco, *Graecum Interpretem, in qua*, substituisse. Quam periculosa, autem, haec sententia sit, aliqua ratione ipse *Estius* agnoscit, quia, hoc modo, textus authenticus, libri cujusdam canonici, periisset, quo asserto, tota fides Scripturae S. destrueretur, vel, si ita esset, hujus Epistolae canonicae, neque versio, fide digna, restaret. Sunt igitur alii, qui in ipso textu dictorum, quae *1. Reg. VIII. 9. & Ebr. IX. 4.* leguntur, fundamentum aliquod conciliationis Scripturae, quoad res, quae in arca positae erant, quaerunt.

Illi, qui, ex loco *1. Reg. VIII. 9.*, dubium hoc tollere conantur, sentiunt, illud  $\text{פָּר}$  non urnam Mannae, & virgam Aaronis, excludere, sed tantum significare, quod arca, ex tota lege, nihil aliud, quam decem praecepta Decalogi, duabus tabulis inscripta, continuerit. Haec, uti ex §. *praecedenti* constat, jam olim mens fuit *R. Gersonis*, quem, ex *Christianis*, *VATABLVS* (s) est secutus, quamvis plurimi hujc interpretationi, tanquam textui vim inferenti, adversentur. Ita, namque, caute admodum, *Estius* monet, illud dictum, secundum ea, exponendum esse, quae Moses olim scripserat, qui sic tabulas arcae includit, ut cetera omnia excludat; quibus *Rivetus* addit, illud  $\text{פָּר}$ , ideo, tali modo, explicari non posse, quia particula  $\text{פָּר}$  praecessit, quae aperte negat, quicquam in arca fuisse, cui deinde, exclusiva  $\text{פָּר}$  adjungitur, quae reliqua omnia, praeter tabulas foederis, excludit. Reliqui, ex ipsis textus Paulini visceribus, rem conficere student, quod duplici, in primis, modo tentant.

Quidam illud  $\text{עַבְדֵי הָיְהוָה}$ , non ad propinquius,  $\text{κισσῶτον}$ , sed ad

remo-  
(r) *Comm. in omnes Epist. ad Ebr. IX. 4.* (s) *Scolliis ad locum 1. Reg. VIII.*



remotius, σκηνην, referri volunt: inter quos, a CARPZOVIO (t), Io. Scarpius, Jac. Capellus, Iunius, Tremellius, Ribera, Waltherus, & Müllerus, referuntur, quibus Lundius, Hasenrefferum annectit. Res ipsa, quam proponunt, in thesi, vera est, quandoque, scilicet, in Scriptura S. talem loquendi rationem occurrere, in qua, *Pronomen relativum*, non ad proxime praecedens Substantivum, sed ad remotius est referendum. Hujus rei exemplum, ex v. 2. cap IX. ad Ebr., peti potest, ubi dicitur, quod prius tabernaculum praeparatum fuerit, in quo, & candelabrum, & mensa, & propositio panum, ἡτις λέγεται ἄγιοι, hoc dicitur sancta, ut pronomen, ἡτις, non propinquius, πρόσθεν τῶν ἀρ-των, sed remotius, σκηνην, respiciat. Hactenus de thesi, jam quod ad hypothesein attinet, hoc loco, talem explicationem, sequentia verba, ὑπερίνω δὲ αὐτῆς χειρὸς μου δόξης, super illam, vero, Cherubim gloriae, prorsus non admittunt, quia Cherubim non super tabernaculum, sed super arcam testamenti, in tabernaculo, alas suas expandebant.

Tandem, alii quidam, ad praepositionem ἐν se vertunt, & statuunt, hanc, a Paulo, duplici sensu, usurpari, ut illa, in, quoad tabulas foederis, juxta, vero, quoad virgam Aaronis, & urnam Mannae, significet, inter quos praecipui quidam Criticorum reperiuntur, ex quibus BVXTORFIVM (u), RIVETVM (x) & LVD. DE DIEV (y) allegasse sufficiat. Fundamentum ipsorum est, quod ἐν Graecum, sicuti ם Ebraicum, non, in, saltem, verum etiam, ad, juxta, significet, ad quod evincendum Lud. de Dieu loca, Gen. I. 22. & Col. III. 1. adducit, in quorum priori dicitur: Volatile se multiplicet ךָ ארב, in terra, i. e. super, non, intra terram; in posteriori, vero, refertur, Christum sedere, ἐν δεξιᾷ τῷ Θεῷ, i. e. ad dextram, non, in dextra DEL. Quae omnia, facile, patronis hujus sententiae concedi possunt, modo

E 2

note-

- (e) Dissert. de arca foederis Domini, cap. V. §. 3. p. 38. (u) Hist. arcae foederis cap. V. Exercit. p. 72. (x) l. c. ad Exod. cap. XXV. 16. f. 113. (y) Critica S. ad Ebr. 4. f. 744.

notetur, id, in diversis locis, procedere, ita, ut particula *ev*, nunc *in*, nunc *ad*, significet, qua ratione notio haec ipsis parum favebit; illud vero falsum est, voculam *ev*, in una propositione semel positam, duplicem admittere significatum, quum non nisi unicus, unius propositionis & vocis Scripturae S., sensus literalis, ob certitudinem mentis Spiritus S., sit admittendus.

Omnium felicissime illi, dicta haec controversa, conciliarunt, qui distinctionem aliquam, inter arcam, *latius*, & *strictius*, spectatam, fecerunt, ex quibus, in primis GLASSIVS (z), & LVNDIVS (a), sunt notandi, quorum sententiae & nos accedimus. De arca, *strictius* considerata, locum *1. Reg. VIII. 9. & 2. Paral. V. 10.* de arca vero, *latius* accepta, oraculum *Ebr. IX. 4.* exoptato successu, interpretantur, ut, adeo & textus illaesus maneat, & omne dubium, penitus, tollatur. Argumenta, quae, pro hac sententia, faciunt, adjungemus exceptionibus aliorum, quibus neque haec sententia satis apta, ad concilianda loca adducta, videtur. Ita, namque, *Gerhardus*, a *Lundio* citatus, huic conciliationi opponit silentium *Mosis*, *Iosephi*, aliorumque, de receptaculis lateralibus arcae, quibus nos cum *Glassio* & *Lundio* urnam Mannae, & virgam Aaronis, inclusam fuisse, dicimus. *Esius*, quoque, objicit, arculam talem, ejusmodi virgam capere non potuisse, nisi eandem, ipsa arca foederis, longiorem faciamus. Tandem, *Rivetus* addit, hac ratione, opus Sacerdotum, arcam portantium, nimis augeri, & inaequalitate, quam receptacula lateraliter pepererunt, arcam foederis deformari. Quando exceptiones *Gerhardi* consideramus, cum *Lundio*, negamus, *Mosen*, de his lateralibus receptaculis, nihil annotare. Quum, enim, *Deut. XXXI. 26.* Levitis injungit, ut librum Legis, a latere arcae foederis, ponant, ansam nobis praebet, tale receptaculum laterale concipiendi, quorsum, etiam, facit locus *1. Sam. VI, 8. seq.*, in quo refertur, Philistaeos arcu-

(z) *Philol. S. lib. III. Gram. scil. S. tract. II. can. 10. p. m. 515.* (a) *l. c.*  
n. 5.



Iam, cum donis aureis, quae DEO Israelitarum obtulerant, ad  
*latus arcae* posuisse. Porro, neque id, simpliciter, est concedendum, neminem, ex Antiquitatum sacrarum Scriptoribus, mentionem aliquam receptaculorum lateralium facere. Sic, namque, misso *Iosepho, Buxtorfius*, qui, hac ex parte, nobiscum facit, quamvis, alio modo, locum ad *Ebr. IX. 4. oraculo 1. Reg. VIII. 9.* conciliet, in medium profert *versionem Ionathanis, Paraphrastae Chaldaei*, quae dictum *Deut. XXXI. 26.* ita reddit: *Reponite librum Legis in capsula, ad latus dexterum, arcae foederis; & R. Iebudam ex Talmude*, qui scribit: *Tabulam, seu capsulam, aut scrinium, prominuisse extra arcam, ei scilicet adhaerens, & huic impositum fuisse librum Legis.* Ad *Estii* objectionem quod attinet, facile, illa, dimensione arcae, tollitur, cujus longitudo erat unius, & sesqui, cubiti, quam, sine dubio, neque virga Aaronis excessit. Denique, quod bina *Riveti* dubia spectat, ita eadem comparata esse videmus, ut neutrum sententiam nostram evertat. Prius, facile, levitate totius arcae eluditur, quae nihil aliud, quam tabulas foederis posteriores, in se, comprehendebat, & ex lignis  $\text{כסף}$ , *Sittim*, confecta erat, quorum praestantia, ex eo, in primis, ab *Hieronymo ad Esa. XLI. & Joel. III.* celebratur, quod omnium lignorum levissima fuerint, unde, sine dubio, receptacula lateralium, ex eodem ligno, adornata, arcae vix notabile aliquod pondus addiderunt. Posterius, effigie arcae foederis, a *Lundio, in libro, hucdum, saepius citato*, exhibitae, refellitur, quae non deformationem aliquam arcae, sed potius omnium partium exactam proportionem, sistit. Hoc modo, itaque, evictum est, solas tabulas foederis posteriores, exclusis reliquis omnibus, in arca foederis, repositas fuisse, ut mirum sit, quum evidentia rei constet, quosdam reperiri, qui neque huic probabilissimae sententiae accedunt, sed potius iudicium suum, hac de controversia, suspendunt, quibus *Bonfrerius, Drusus, & Friedlibius*, a *Lundio*, annumerantur. Ceterum, si quis uberiores, hac de materia, informationem expetat, COR-

NELIVM A LAPIDE (b), ESTIVM (c), BVXTORFIVM (d), POLVVM (e), RIVETVM (f), BRAVNIVM (g), LVNDIVM (h), & CARPZOVIUM (i) ipsi evolvendos commendamus.

§. XVI. Arcae, tanquam proprio domicilio, quovis tentore, tabulae foederis adjunctae fuerunt, ita, ut arca, ubicunque locorum extiterit, semper tabulas foederis inclusas habuerit. *Loca generaliora*, in quibus tabulae, cum arca, sunt asservatae, duo, in primis, reperiuntur, *tabernaculum*, & *templum*, in quibus peculiaris pars, *Sanctum* scilicet *Sanctorum*, arcae, ab ipso DEO, destinata erat. Quum, vero, tabernaculum mox in hoc, mox in alio, loco erigeretur, &, praeterea, arca, quandoque, jussu DEI, quandoque, proprio Israelitarum consilio, ex eodem produceretur, non saltem in *generaliora*, verum etiam in *specialiora*, *loca*, in quibus tabulae foederis, cum arca, fuerunt, inquirere liceat. Primo omnium notandum, Mosen, uti ex *Exod. XL. 2.* constat, arcam foederis *die primo, mensis primi*, scilicet *Nisan, Anno, ab exitu ex Aegypto, secundo*, qui, secundum computum nostrum, non *A. M. 2455.*, quod DIETERICO (k) placet, sed *A. M. 2515.* respondet, in S. S. tabernaculi, ad montem Sinai, reposituisse. Postea, cum tabernaculo, arca, & tabulae foederis, in omnia loca deportata fuere, ubi Israelitae, durante itinere suo, castra sunt metati, quae *Num. XXXIII.* aliisque in locis, distincte recensentur, ut adeo non opus sit, illa omnia hic adducere, quum codex facer in omnium manibus versetur. *Mortuo* Mose, post ingressum Israelitarum in terram *Canaan*, in *Gilgal*, prima,

(b) *Comment. in omnes Pauli Epist. ad Ebr. IX. 4. f. 902.* (c) *Comm. in omnes Pauli & VII. Cathol. Apost. Epist. ad Ebr. IX. 4. f. 991. 992.* (d) *Hist. arcae foed. Cap. V.* (e) *Synops. Crit. volum. IV. parte poster. ad Ebr. IX. 4.* (f) *OO. Theol. tom. I. Comment. in Exod. ad Cap. XXV. 16. f. 113.* (g) *Comment. in Epist. ad Ebraeos ad Cap. IX. 4. p. 497. seq.* (h) *von den alten jüdischen Heiligthümern Lib. I. cap. 15. n. 4.* (i) *Dissert. de arca foederis Domini cap. V.* (k) *Antiq. Bibl. f. 204.*

prima, populi DEI, mansione *A. M. 2494.* si *Dietericum, A. 2554.* vero, si nostrum computum, sequamur, fixum fuit tabernaculum, & hac ratione etiam tabulae foederis, una cum arca, ibidem manserunt. Hinc, non multo post, tabulae, cum arca, in castra Israelitarum, coram Ierichunte, fixa, translatae, ac tandem, mandato divino, quod ex *Iof. VI.* constat, circumcirca urbem, multoties, circumductae fuerunt. Hoc facto, Iosua illas, cum arca, mandato Mosis obtemperaturus, inter montes, *Ebal & Garizim,* collocavit, *Iof. VIII. 33.* quo scilicet, DEO, specialiori modo, praesente, eo majori gravitate, atque devotione, benedictio, & maledictio, a Mose praescripta, proferretur. Postea, quum Israelitae, maxima ex parte, terram *Canaan* occupassent, cum tabernaculo, tabulae foederis, & arca, ex *Gilgal,* in *Silo* est translata, ut, jamjam in interioribus terrae *Canaan* constituta, eo commodius adiri possit, quod non *14.*, ut *Rabbini* volunt, sed, *g. Ducatus* Iosuae anno, & sic *A. M. 2561.* cum *Torniello,* & *B. Calovio,* factum censemus. Hoc in loco tabulae, atque arca foederis, *350. annos,* & *ultra,* permanferunt, ac non, nisi semel, cum arca, sed sine DEI mandato, sunt protractae. Accidit illud tempore *Eli,* summi Sacerdotis & Iudicis, Israelitarum, quo hi, contra *Philistaeos,* bellum movebant, cujus causa, ut eo certiolem victoriam sibi promitterent, per filios *Eli,* *Hophni & Pinebas,* ex *Silo,* tabulas, cum arca, in castra adduci curarunt, uti res *1. Sam. IV.* narratur, non tamen commodo, sed potius detrimento suo, quum in praelio, brevi post, cum *Philistaeis,* commisso, *Israelitae* profligati, arca capta, & in terras *Philistaeorum* abducta sit. In his, primum, ex *Eben-Eser,* *Asdodum* ducebatur, atque in templum *Dagonis,* idoli Philistaeorum, collocabatur, quod, secundum *Dietericum,* factum est *A. M. 2850,* secundum *Calovium,* vero, *A. M. 2908,* quem annum emortuaem *Eli,* & primum regiminis *Samuelis,* facit. Quum, vero, arca & tabulae non saltem cum idolo *Dagon* consistere non possent, verum etiam *Asdodaei,* a DEO, graviter affligerentur, eandem *Gathum* deduxerunt,

xerunt, & hinc, ob easdem poenas, *Gatbitis* impositas, *Ekrone*, unde tandem, postquam per 7. *menses*, in terra *Philistaeorum*, permanisset, in ditiones Israelitarum, additis munusculis aureis, est remissa. Reducta, *A. M. 2851.* uti *Dieterico*, Anno, vero, 2909, uti *Calovio*, videtur, in terram Israelis, *Beth-Schemeschum*, pervenit, ubi, in agro *Iosuae*, primo, ex curru, deposita, & deinde, indigne habita fuit, quare DEVS, ira commotus, tot millia ipsorum percussit. Hinc, in urbem, *Kiriath-Iearim*, & speciatim, in domum *Abinadabi*, quae in colle, eminente, sita erat, deferebatur, ut adeo vox *זָבַח* i. *Sam. VII. 1.* pro nomine appellativo, non proprio, sit habenda. In aedibus vero *Abinadabi*, perstitit arca, cum tabulis, annos 50, & quod excurrit, usque dum *David*, ad regiam maiestatem evectus, eandem *Hierosolymam* ducturus, ob *Vsam* percussus, in aedes *Obed-Edomi*, ad viam, quae *Hierosolymam* versus tendebat, sitas, reponeret, & tandem, elapsis tribus mensibus, in regiam suam, magno splendore, atque apparatu, introduceret, eamque in tentorium, eidem paratum, collocaret. Alii suspicantur, tabulas foederis, cum arca, etiam in *Nobe*, fuisse, occasione ex *1. Sam. XXI.* desumpta, ubi narratur, *Davidem*, in *Nobe*, ad *Achimelechum* venisse, & ab ipso panes propositionum, atque enses *Goliathi*, qui, pallio involutus, ante *Ephod* repositus erat, accepisse. Sed, ex *2. Sam. VI.* patet, arcam, cum tabulis, in *Nobe*, non fuisse, quia *David*, ex domo *Abidanabi*, eam *Hierosolymam* deducere voluit, ut adeo tabernaculum in *Nobe*, ita arca caruerit, sicuti in *Silo*, quum eadem, a *Philistaeis*, caperetur. Ex tentorio *Davidis*, semel, tabulae, cum arca, protrahebantur, eo scilicet tempore, quo *David*, propter *Absalonis*, filii perfidi, impetum fugeret, iussu tamen regis, mox in illud reducebantur. Aedificato tandem pretiosissimo templo, arca, & tabulae, a *Salomone*, filio & successore *Davidis*, in *S. S. A. M. 2981.* uti *Dietericus*, Anno vero 3000., uti *Calovius* existimat, collocata, & nunquam, quicquid *Rabbini* fingant, inde extracta, vel a *Ieremia* abscondita

dita fuit. Atque haec omnia illa loca sunt, in quibus vel DEVS arcam, cum tabulis, collocare iussit, vel homines, consilio proprio, eandem deportarunt. Duae ceteroquin adhuc restant quaestiones, huc pertinentes, *an, nimirum, arca, cum Israelitis, in comitiis fuerit, & an in bellum, cum populo, migraverit?* Vtramque *Rabbini* quidam, a *LYRA* (l) & *BVXTORFIO* (m) allegati, affirmant, quibus *LVNDIVS* (n) alios, e *Cbristianis*, adjungit. Causa, & fundamentum, utriusque, in eo consistit, quod, in *S. Literis, arcae, in bello usitatae*, saepius, mentio fiat, & quod illa, quae in comitiis peragebantur, *coram facie Domini*, לפני יהוה, agitata dicebantur. Huc faciunt loca, a *Lundio* collecta, scilicet, *Num, XXXI. 6. Ios. XXIV. 1. Iud. XI. 11. cap. XX. 1. 1. Sam. VII. 5. 6. X. 17. 18. 19. XI. 14. 15. XII. 3. sqq. XIV. 18. 36. 37. 41. 2. Sam. V. 3. XI. 11.* Alii, vero, *Abarbanel*, scilicet, *Buxtorfius*, *Müllerus*, & *Hafenrefferus*, majori certitudine nixi, existimant, arcam neque ad comitia, neque in bellum, deductam esse, quia, hac de re, nihil, in Scriptura, reperitur. Quod, vero, *Num. XXXI. 6.* legatur, *Mosen, cum Pinebaso, filio Eleasaris, in bellum וְאֵת כָּלֵי הַקֹּדֶשׁ וְאֵת אֲרוֹן הַבְּרִית* *vasa sanctitatis*, misisse, id, majori jure, de *arca, cum Ephod*, quam, de *arca foederis*, exponitur, quia, *1. Sam. XIV. 3. 18. 36. 37.* illud, clara Scripturae *S. litera*, confirmatur. Quod vero ad hos loquendi modos לפני יהוה, *coram Domino, coram facie Domini*, item, *ad Dominum, appropinquare*, & *ex DEO quaerere*, attinet, illos *Lundius*, ita, explicat: Sacerdotem summum, *DEVM* interrogaturum, si vel *arcae* propinquus, vel, ab eadem, remotus fuerit, se ad illam convertisse, & sic, ex *Domino*, quaesivisse, qui, deinde, per *Vrim & Thummim*, ad propositam quaestionem responderit. Accedit, quod, si contraria sententia defendatur, statuendum sit, Sacerdotem summum, non tantum, *festo Expiationis*, sed & alias, *S. S. ingressum esse*, cui sententiae Scriptura *S. repugnat*.

F

§. XVII.

(1) *ad Num. XXXI. 6. 1. Sam. VII. (m) Hist. arcae foederis cap. XX. (n) l. c. Lib. I. cap. IV. n. 1. sqq.*

§. XVII. Tabulas, cum arca, variis in locis, fuisse, huc- dum, evicimus, jam dispiciendum, *an eadem extra arcam, vel, etiam, in ipsa arca, aliquando, post impositionem ab aliquo mortali- um, nudis oculis visae sint?* Affirmant id omnes, qui statuunt, librum legis, jam tempore Mosis, & urnam Mannae, cum vir- ga Aaronis, post tempora Salomonis, arcae imposta esse, quos tamen hic non attendimus, quum sententia ipsorum jamjam sit refutata. Scriptura S., sine cujus testimonio, hic, nihil statuere audemus, nullibi refert, ullum hominem tabulas foederis, post impositionem in arcam, oculis usurpasse, praeter *Betschemitas*, de quorum peccato tamen varie adhuc disputatur. *ABVLEN- SIS* (o) putat, eosdem arcam nudam vidisse, quum tamen ne- que *Levitis*, ut ex *Num. IV. 20.* constat, sine praesentissimo mor- tis periculo, illam aspicere licuerit. *LVNDIUS* (p) vero, aliter, peccatum illud describit, textum, in primis, authenticum, i. *Sam. VI. 19.* respiciens, cujus verba ita sonant: *רָאוּ בַחֲרוֹן יְהוָה, pro- spexerunt in arcam Iebovae, ex quibus fluere existimat, Betsche- mitas non tantum arcam nudam vidisse, verum etiam, proba- biliter, sine decenti devotione, avide accurrisse, eandem pal- passe, aperuisse, & hac ratione, ob coronam, quae, circumcir- ca, operculum aureum cingebat, invertisse, imo, etiam, pro- fanius locutos esse. Quae, si vera sunt, uti equidem videntur, certum est, post impositionem in arcam, tabulas a Betschemitis visas esse, quod, tamen, ipsis in perniciem cessit, quum propter- ea, tot millia hominum, a DEO, sint percussa.*

§. XVIII. Quum tabulae foederis non, nisi semel, post impositionem in arcam, visae sint, porro quaeritur: *an non sal- tem ad testandum protrahi, & populo, neganti, se foedus, cum DEO, iniisse, ostendi potuerint?* Aserit illud *ABVLENSIS* (q), sed argumentis nimium suspectis sententiam suam adstruere co- natur. Primum est, *Jeremiam Prophetam, tempore quodam, Iudaeis,*

(o) l. c. ad *Exod. XXV. quaest. 15. f. 38.* (p) l. c. lib. 1. c. *XXI. n. 7. f. 103. 104.* (q) l. modo tantum c.

Judaeis, de misericordia DEI diffidentibus, urnam, plenam Man-  
na, quae, in arca, cum tabulis, servabatur, extraxisse, totique  
populo *Ebraeorum* ostendisse, ut miserationes Domini, demon-  
straret, & diffidentiam eorum argueret: unde tandem colligit,  
eodem modo tabulas, ex arca, ad testandum de foedere, DE-  
VM inter & populum Israeliticum, erecto, produci potuisse.  
Ait falsum est, urnam Mannae in arca, stricte sumta, fuisse,  
hinc etiam *Ieremiam* eandem inde non protraxisse, evictum est.  
Alterum ex 2. *Macc. II.* desumitur, ubi refertur, *Ieremiam* ar-  
cam, cum illis, quae ipsi inclusa erant, nec non altare thymia-  
matum, ex loco suo, eduxisse, atque, in monte *Nebo*, abscon-  
didisse. Iam existimat, eodem, imo, majori jure, tabulas, ex  
arca, producere licuisse. Sed, neque hoc argumentum vali-  
dus est priori. Liber, enim, secundus Maccabaeorum est apo-  
cryphus, quia aperte Scripturae canonicae contradicit, & tota  
illa narratio, de arcae occultatione, fabulam potius, quam hi-  
storiam, redolet, de qua, deinceps, dispiciemus. Melius sen-  
tentia haec scopo, atque fine, tabularum foederis, confirmatur,  
quippe quae testimonium, de percusso foedere, dabant, qua-  
re etiam *tabulae testimonii*, nec non ipsum *testimonium* vocantur.  
Quum itaque tabulae, ad testandum, datae fuerint, sine dubio,  
tali casu se exerente, vix, tamen, sine speciali DEI mandato,  
eae, ex arca, protrahi, & populo ostendi potuerunt. Huic sen-  
tentiae objici posset: neque Sacerdoti summo pluries, quam se-  
mel, in anno, S. S. ingredi licuisse, hincque, si dubium, de  
foedere percusso, alio tempore, quam die expiationis, contigis-  
set, illud, per productionem tabularum, haud solvi potuisse.  
Movent hanc objectionem ipsi *Talmudici* (r), in simili materia,  
quando scilicet *Gemara* dicit: *Tabulas & volumen Legis ita capa-  
citatem arcae complevisse, ut duo palmi residui essent, ne liber Le-  
gis, si vel inde de promoteretur, vel in eam inferretur, comprimere-  
tur;* ad quae verba *Additiones*, per modum objectionis, sequen-  
tia

F 2  
(r) in *Bava Batra* f. 14. 1. in *addit. Talm.*

תאמר הלא היו מוציאין אותו מן הארון : והנה אסור ליכנס בבית קדשי הקדשים וביום הכפורים : לֹא אֲשַׁכַּחן כְּסָדָר וּמִנָּה שֶׁהָיָה מוֹצִיאֵן : *Atqui nunquam educabant eum ex arca: prohibitum enim erat, ingredi S. S. Et in die expiationum, quo Sacerdos summus ingrediebatur, non legimus in tractatu Ioma, quod illum inde expromserit.* Verum hanc objectionem ipsi Talmudici diluunt, quando hunc in modum, ad propositum dubium, respondent: שְׂרִי לְהַצֹּרֵךְ כְּדֵי לְתַקֵּן שְׂרִי לִיכַנֵּס בְּבֵית קֹדְשֵׁי הַקֹּדְשִׁים כְּדָאֲמַרִּינָן בְּעִירוּבֵין וְהַכְּנֵה מִנֵּי יוֹכֵל לִיכַנֵּס שֵׁם כְּדֵי לְתַקֵּן סֵפֶר תּוֹרָה כְּדֵי שְׁלֵא יִתְעַפֵּשׂ וַיִּתְקַלְקַל וְגַם מִשְׁחָרֵב מִשְׁכַּן שִׁילֵהָ עַד שֶׁבָנִי שְׁלֵמָה בֵּית הַמִּקְדָּשׁ הָיָה יוֹכֵלִין לְהוֹצִיאֵו בֶּן הָאֲרוֹן וְלַעֲיֹן בֵּרֵי: *Exigente necessitate, ad aliquid, in eo, reparandum, licitum fuisse ingredi in S. S. legimus in Erwin f. 105. & 14. Pariter ergo hic dicere licebit, potuisse Sacerdotem summum ingredi, (alio scilicet tempore) ad librum legis conservandum, vel reparandum, ne putrescat, vel corrumpatur. Quin & ex quo vastatum fuit tabernaculum, in Silo, usque ad exstructionem domus Sanctuarii, a Salomone, potuerunt illum ex arca eximere, & inspicere.* Eodem modo & nostram controversiam decidimus, necessitate scilicet exigente, tabulas foederis Sacerdotem summum, in primis, mandato speciali divino munitum, ad testimonium, de percusso foedere ferendum, ex arca, e S. S. proferre potuisse.

§. XIX. Longius FR. FORTVNATVS SCACCHVS (s) progreditur, & non tantum tabulas foederis posteriores, ad testimonium, de percusso foedere, ferendum, produci potuisse statuit, verum etiam ipso facto, in inauguratione Regis Israelitarum, ex arca, illas extractas, Regique in manus traditas fuisse, suspicatur. Suspicionem hanc in Scaccho, locus 2. Paral. XXIII. 11. excitavit, ubi refertur, super Ioaschum, quum inauguraretur, coronam, וְאֵת הָעֲדוּת, & testimonium, positum fuisse, quem

(s) *Sacrorum Elaeocrisimatov Myrobeciis Myroth. III. de Israelitici Regis inauguratione. Cap. XLIV.*



quem variae Interpretum expositioni obnoxium esse, inficiari haud possumus. Ita namque, RAVANELLO (t) teste, multi reperiuntur, qui vocem ערוֹת, *ornatum regium*, vel *pallium imperiale* interpretantur, alii vero, ab ipso Scaccho adducti, *Nicolaus scilicet de Lyra, Abulensis, Pineda, Sanctius, & ipse Interpres Vulgatus*, illam, per *legem, & testimonium*, exponunt. Neutra, Scriptorum commemoratorum, interpretatio, authenticum textum Scaccho exhaurire videtur, unde & is existimat, tutius forsitan esse, si per vocem ערוֹת neque *ornatus regius*, neque *lex*, vel *testimonium*, sed *ipsae tabulae foederis*, intelligantur. Maximum vero robur sententiae suae in eo collocat, quod vocabulum ערוֹת, si non cum alia voce jungatur, tali in primis loco, ubi de lege, aut praeceptis divinis, agitur, tantum, de *moralibus praeceptis, tabulis incisus*, sit accipiendum. Hac ex causa, solícite admodum, inter voces משפטים החקים, vel צרקות, & inter דרך מצוה, vel הערות distingvendum esse contendit, quum dictio משפטים de illis tantum praeceptis accipiatur, *quae iudices Reipublicae respiciunt*, eisque normam sententiae ferendae, in controversiis, tam civilibus, quam criminalibus, Israelitarum, praestant; vox החקים & צרקות semper *praecepta caeremonialia*, quibus, ritus, ac caeremoniae, ad religionem, DEI, que cultum, in altari, aut tabernaculo, spectantes, indicantur, & tandem vocabula דרך מצוה, & הערות, *praecepta moralia, in duabus tabulis exarata*, significant. Alterum argumentum, quod Scacchus, pro stabilienda hac sententia, adducit, est a convenientia Regis, cum Mose, Duce, & quasi Rege primo Israelitarum, desumptum, quod scilicet, sicuti summus Sacerdos, personam DEI, & Aaronis, in eodem populo, sustinuerit; ita etiam Rex, hoc ritu, sacras legis tabulas in manus Principis collocandi, alterum veluti Mosen, ab ipso DEO missum, exhibuerit. Sed quis non animadvertit, has Scacchi rationes, vix suspicionem, multo minus certitudinem aliquam, generare. Quod,

F 3

enim,

(t) Bibliotheca S. Part. II. f. 732. c. 2.

enim, ad primum, & firmissimum ejus argumentum, attinet, e-  
quidem, aliquam distinctionem inter voces *משפטים* & *העדות*, concedimus, id autem *Scacchus* vix evincet, ubique illam  
distinctionem locum habere, unde *FLACIUS* (u) verba, *voces, testi-*  
*monia, judicia, statuta, & mandata, ad legem & promissiones*, Syno-  
nyma esse, ostendit. Posito, tamen, vocabulum *העדות*, sine  
alia quadam voce, eidem juncta, adhibitum, & tali, in primis,  
loco, ubi de lege, aut praeceptis divinis, agitur, semper, *prae-*  
*cepta moralia, tabulis incisa*, denotare, nullo modo, exinde, se-  
quetur, Regi inaugurando, tabulas foederis sustinendas, in ma-  
nus, traditas fuisse, quum & eadem praecepta, in *Exodo*, & *Deu-*  
*teronomio*, scripta, reperiantur, ut, adeo, vel *Deuteronomium*,  
vel *totum Pentateuchum*, *Ioascho* impositum fuisse, tutius sit  
statuere, quae sententia magis, quam *Scacchi*, cum loco *Deut.*  
*XVII. 18. 19.* convenit, quia ibi Regi non saltem *Decalogus*, ve-  
rum *totus liber legis, in latere arcae positus*, describendus injun-  
gitur. Alterum, de convenientia Regis, cum Mose, felicitis in-  
genii commentum est, atque hinc non aptum videtur, ut su-  
spicionem *Scacchi*, aliqua ex parte, confirmet. Animadvertit  
haec omnia ipse *Scacchus*, hinc litem illam Lectoris judicio de-  
cernendam relinquit, & ipse, quoque, rationes, quae contra  
eamdem moveri possent, adducit. Maxime hunc virum a sen-  
tentia commemorata, *auctoritas Versionis Vulgatae* retrahit, quae  
locum *2. Paral. XXIII. II.* ita reddit: *Et dederunt ei tenendam*  
*legem*, ex quibus verbis facile colligitur, eandem per *העדות*  
non *tabulas*, sed *librum legis*, intellexisse. Verum, scopulum  
hunc *Scacchus*, tuto, se evitare posse existimat, si dicatur, *Vul-*  
*gatum*, quum vox *testimonii* generalior sit, vocabulo *legis*, se, ab  
illis, distinguere voluisse, qui, hoc in dicto, nomen *העדות* *or-*  
*natum regium* interpretantur, quod, annon mera conjectura sit,  
ipse *Scacchus* viderit. Longe validius, opinio illa, ex eo, im-  
pugnatur, quod Scriptura S. nullibi, productionis tabularum,  
ex arca,

(u) *Clave Script. S. Part. I. p. 1532.*

ex arca, mentionem faciat, resque, tanti momenti, silentio te-  
genda, minus credibile videatur, cui accedit: quod neque *Iosephus*,  
neque *Philo*, neque alius, antiquarum rerum Ebraicarum  
Scriptor, ritum hunc, notatu dignissimum, vel unico verbo,  
tangat, ut, adeo, suspicio illa, tanquam minus fundata, *Scaccho*  
propria sit relinquenda.

§. XX. Finem, posteriorum foederis tabularum, quum idem  
cum eo sit, quem priores tabulae agnoscunt, hic praetermittimus;  
illud, tamen, paulo accuratius expendemus, an tabulae posteri-  
ores loco simulacri, vel symbolorum, & instrumentorum, sacratio-  
rum, in cistis, apud Gentes antiquas, pene omnes, sacrorum lege  
receptis, asservatorum, concessae, & in arcam foederis, recondi-  
tae fuerint? Simulacri locum easdem, una cum arca, exple-  
visse, ipse R. MAIMONIDES (x), qui, tamen, pro more, Rab-  
binis recepto, sacra Iudaica, prae aliis, ad coelum, evehit, sui,  
prorsus, inscius, temere admodum, concedit, quando ita lo-  
quitur: *Constat homines, olim templa exstruxisse stellis, & plane-  
tis, in iisque, imaginem aliquam collocasse, stellas, vel syderi cer-  
to, consecratam, ad quam colendam omnes unanimiter, consense-  
rant. Hinc nos iussi sumus templum aedificare DEO Opt. Max.  
& in illo, collocare Arcam, atque in hanc, reponere duas tabulas  
lapideas, in quibus scriptum erat: Ego sum Iehova DEVS tuus.*  
&c. In quibus verbis id, equidem, uti BUXTORFIVS (y) ad  
eadem annotat, admitti potest, quod DEVS per primum prae-  
ceptum, Israelitas, ab idololatria Gentilium, avocaverit, eos-  
demque, de vero DEI cultu, edocuerit; id, vero, non feren-  
dum, DEVM sacra Gentilium, in exstruendo templo, respexisse,  
& ad horum imitationem, loco simulacri Gentilium, arcam,  
una cum tabulis, in S. S. collocari iussisse. Facile, enim, *Mai-  
monides* praevidere poterat, hac ratione id, quod, suis verbis,  
intenderat, tantum non, penitus everti. Nam, si DEVS, pro

funda-

(x) *More Nevochim part. III. cap. 45.* (y) *Hist. Arcae foed. cap. XV.*  
*Exercit. p. 149.*

fundamento, & exemplari, sacrorum suorum in V. T. ritus Gentilium posuisset, aliqua ex parte, idololatriam, & cultum, ipsorum approbare visus fuisset, unde, causa deinde haberi posset, quod Israelitae, egregie, & ad convictionem, de vero DEI cultu, informati, tam proni ad idololatriam, & sacra sua, cum cultu Gentilium, commutanda, fuerint. Tacemus, hoc modo, sanctitati, templi Hierosolymitani, multum, decedere. *Maimonide*, longe, ineptior est *Io. SPENCERVS* (2), *vir eruditus*, sed *Theologus*, atque *Philologus*, admodum profanus, qui *IV. argumentis* evincere conatur, DEVM tabulas foederis, loco symbolorum, & instrumentorum, sacratorum, quae, in sacris Gentilium, usu veniebant, & in cistis ipsorum asservabantur, in Arcam foederis collocari iussisse. Quam impia vero, & homine Christiano prorsus indigna, haec sententia sit, facile, ex eo, patescit, quod sic, horrendum dictu, sanctissimum Nomen, simia diaboli constituatur, quod, tamen, longe alium finem, in instituendis sacris suis V. T., quam imitationem, & emendationem sacrorum Gentilium habuit, Christum, scilicet, imaginibus, atque typis, adumbrandum. Praeterea, totus *Spenceri* labor frustraneus, atque ineptus est, quum, tantum, suam sententiam, ex scriptis, aetatem institutionis sacrorum Iudaicorum non excedentibus, commonstret. Quam diu, enim, id non praestabit, tam diu dubii erimus, utrum illo tempore, jamjam, Gentilium sacra ita, prout, deinde, instituto vero DEI cultu, ab Auctoribus describuntur, adornata fuerint. Sed ad argumenta *Spenceri* veniamus, quorum *primum* est, apud Gentem antiquas, pene omnes, sacrorum lege, receptum fuisse, ut Deorum symbola, & instrumenta, sacratiora, cista, conderentur. Rem, ita, se habuisse, ex more, in *Eleusiniis*, recepto, probare conatur, quem, dilucide *CLEMENS ALEXANDR.* (a) describit, cujus verba, quum contra ipsum *Spencerum* militent, hic, apponemus:

*Oicu*

(2) de *Legibus Hebraeorum ritualibus lib. III. Dissert. V. cap. 2. p. 229.*  
 230. (a) in *Protrept. OO. p. 14.*

Οἷα δὲ, inquit, καὶ αἱ κίσται αἱ μουσικαὶ· δὲ γὰρ ἀπογομνῶσαι τὰ ἅγια αὐτῶν, καὶ τὰ ἀρρήτα ἐξεπέμν. Ἔσσημαὶ τὰυτα καὶ πυραμίδες, καὶ τολύπαι, καὶ πόπανα πολυόμΦαλα, χόνδροί τε ἄλων, καὶ δράκων, θεγνιον Διονύσε Βαισσάεε; Οὐχὶ δὲ ροιαὶ πρὸς τοῖς θε, καὶ κερδία, νάεθνηκὲς τε, καὶ κηττοί; πρὸς δὲ, καὶ Φθοῖς, καὶ μήκωνες; τὰυτ' ἐστὶν αὐτῶν τὰ ἅγια. reliqua verecundia silentio praeterire jubet. Verba allegata ita *Latine* fluent: *Quales, autem, sunt cistae eorum mysticae? oportet, enim, sancta eorum revelare, & arcana enunciare. Annon ea sunt famosa, & pyramides, & lana, bene laborata, libaque, multis distincta umbicillis, salisque pugilli, & draco, orgium Bacchi Baf-fari? Annon mala Punica, atque etiam corda, ferulae & bederae, & praeterea, placentae, & papavera. Eleusiniis, Spencerus, sacra Aegyptiorum adjungit, de quorum hierophantis Synesius testetur, eos, nescio quas, sphaeras mysticas, & figuras symbolicas, in sacris quibusdam cistis, ponere, & circumferre, solitos. His addit sacra Thebanorum, de quibus Senecae verba testatum faciunt:*

*Nos Cadmaeis Orgia ferre*

*Tecum solitae condita cistis.*

Iam ex his *Spencerus* colligit, non rationi consonum videri, has, & alias, gentes sacra sua, in cistis arcanis, posuisse, ut *Judaeorum* exempla sequerentur, quum, vix, assequi detur, quomodo mos ille Iudaicus, in tot Gentes, magnis locorum spatiis, distinctas, propagari potuerit. Deinde, si sacra haec Gentiles, a Iudaeis, accepissent, aequum esse opinari, eas, etiam, *Cherubinos*, utpote Arcae conjunctissimos, accipere, & imitari, voluisse. Vtraque haec conclusio, nullo negotio, eliditur. Quidni, enim, fama, de cultu Iudaeorum, ad Gentes, etiam diffitas pervenire potuerit, quum DEVS id ipsum, hoc cultu, intendere, quod, re ipsa, factum esse, *sequenti* §. probabimus. Praeterea non sequitur, ut uno, a Gentilibus recepto, etiam alterum necessario fuerit recipiendum. Quod, vero, ad Cheru-

G

binos

binos attinet, sufficit, ipsum *Spencerum* in sequentibus, conterere, horum formam, apud *Aegyptios* usitatam fuisse, quamvis iidem cistis Gentilium non sint adjuncti. *Alicrum*, quod, pro suspecta sua sententia *Spencerus* adducit, multo invalidius est. Existimat, enim, nos, si oculos, per temporum antiquiorum historias, circumferamus, facile percipere, idololatræ ritus, & mysteria sua, a vulgi conspectu, studiosius occultasse, ut scilicet mysteria eorum, nil sacrum, aut admirandum, in ipso recessu, continentia, summam admirationem, affectata quadam obscuritate, apud facilem plebem, sibi conciliarent. Colligit itaque *Spencerus*, rationem svadere, ut opinemur, cistas illas, quibus idololatræ nugæ, mysteriorum titulo decoratas, olim occultarunt, originem perantiquam habuisse, nec ab *Ebraeorum* arca, vel historia, sed idololatræ doli, & præstigiis, initia petiisse. Iam, si totum argumentum, æquo animo, expendamus, hic *Spencerus*, prorsus, non probat, DEVM, mandando, ut tabulæ foederis arcae imponerentur, symbola, & instrumenta, sacratiora Gentilium, in cistis ipsorum, asservata, respexisse, sed, si argumentum aliquid posset, id evinceret, Gentiles mysteria sua, non per νόμιον ἑθνικόν, sed per dolum, studiose, occultasse, quamvis & hic *Spencerus*, ultra conjecturam, ascendere non queat. Tertia ratio est inepta, &, per seipsam, sine refutatione, concidit; nullam, scilicet, fati solidam rationem excogitari posse, cur DEVS Legis tabulas, in cista, recondi, easque circumferri voluerit; nisi, ut ritum ethnicum in religionem evereret, & Israelitis, cultus, ubique recepti, speciem aliquam, expetentibus, quasi morem gereret. Age, enim, nullam rationem solidam dari, quare DEVS tabulas foederis in arcam ponendas, & circumferendas curaverit, illane solida erit, quam *Spencerus* adduxit, DEVM, in condendis sacris suis, sacra Gentilium, a diabolo invecata, imitatum esse, & in rebus illicitis, genio Israelitarum se accommodasse. Sed & illud falsum est, nullam, hac de re, solidam dari causam. Inspiciantur, tantum, ipsæ tabulæ, quæ instrumentum erant foederis,

deris, a populo Israelitico, cum DEO initi, quod foedus, absque merito, & satisfactione, Messiae, haud condi poterat. Iam, itaque, quum sanctissimus noster Servator, sit Angelus foederis, qui legem, nostri locò, perfecte, implevit, &, per propitiatorium, arcae impositum, repraesentabatur, dignae erant tabulae foederis, ut sub propitiatorium, in arcam, collocarentur. Reliqua, quae, circa hanc *Spenceri* rationem, adhuc, monenda essent, ne prolixiores simus, silentio praetermittimus. *Quartum* tandem, *Spenceri* argumentum, quod DEVS, tantum, tabulas foederis, arcae imponendas curaverit, quo ipso, tacite, ethnicorum ineptias, pro mysteriis, in cistis absconditas, suggillaverit, si recte examinetur, ne tantillum, quidem, opinionem *Spenceri* adstruit, ut, potius, pro nostra, fortiter militet. Nam si DEVS ineptias, & sacra, Gentilium averfatus est, illa, certe, in instituendo cultu vero Israelitico, non respexit. Neque videmus, quomodo hic *κακοζήλεια* locum non haberet, quum res illae ineptae, in cistis Gentilium repositae, iudicio nostro, equidem, tales fuerint, sed non, iudicio Ethnicorum, qui easdem, sanctissimorum instar mysteriorum, reputarunt. Denique, ipse *Spencerus* levitatem rationum suarum agnoscit, dum subjicit, easdem non omni exceptione majores, sed speciosas, saltem, esse, quae species, nostro iudicio, nullam veritatem, pro qua, tamen, *Spencerus* sententiam suam nobis obtrudit, progignit.

§. XXI. *Spenceri* falsam opinionem, hucdum, refutavimus, jam nobis evincere incumbit, & Gentiles aliquid de tabulis legis scivisse, &, quoque, per *κακοζήλεια* sacra Iudaeorum hic imitatos esse. Aliquid Gentilibus, de tabulis foederis, a summo Numine, Mosis exhibitis, innotuisse, sequentia ONOMACRITI (b) verba, notatu dignissima, testantur:

- - - ὡς ὑδογενής διέταξεν,

Ἐκ Θεόθεν γνώμασι λαβῶν κατὰ δίπλανα Θεσμών.

Quo in loco, per ὑδογενέα *Gatakerus*, apud POLVM (c), *Mosen* intelli-

G 2

(b) Orphaicis, & quidem fragment. ἐκ τῶν Ὁρφείων περὶ Θεῶν v. 33. 34.

(c) *Synops. Crit. vol. I. part. pr. ad Exod. XXXIV, 1.*

intelligit, qui, ea de causa, quod in aquam projectus, a filia Pharaonis, ex eadem, extractus fuerit, a  $\pi\psi\omega$ , *extrabendo*, nomen  $\pi\psi\omega$  accepit. Quod, si verum est, *Spencerus* anidmadvertat, famam de Mose, & de tabulis foederis, etiam ad distitas Gentes pervenisse.  $\kappa\omicron\mu\omicron\zeta\eta\lambda\omicron\upsilon$  Gentilium, quoad tabulas foederis, pari modo, insigni argumento, ex antiquitate petito, adstruere possumus. Ipse *Spencerus Eleusiniorum*, pro stabilienda sua hypothese, mentionem fecerat; nunc, videamus, an non haec ipsa sacra eundem, solide, refutent. Erat, scilicet, prope fanum *Eleusinae*, opus aliquod memorabile,  $\pi\acute{\epsilon}\tau\rho\omega\iota\mu\omicron\iota$ , alias, dictum, e duobus magnis lapidibus, eminentibus, compactum, ita, ut alter alteri exacte responderet, in quo, uti ex *Pausania*, *Hoffmannus* (d), & *Gyraldus* (e), tradit, libri rituales reconditi erant, quibus lapidibus apertis; majoribus mysteriis initiandi, scripto, addiscebant, quid factu opus: ubi & jusjurandum, de maximis quibusque rebus, praestabatur. Disjungebant autem lapides illos, ubi anniversarii sacri, dies appropinquabat, atque, inde, literas educebant. Postquam vero illas, sacrificulis audientibus, recitandas curasent, ea ipsa, quae sequebatur, nocte, in pristinam sedem reponebant. Praeterea, circa hoc opus, notandum, habuisse illud, supra operculum rotundum, in quo *Cereris Cidariae* effigies servabatur; quam, stato mysteriorum tempore, Sacerdos induebat, & populares, patrio quodam ritu, virgis caedebat. Ex hoc itaque opere colligimus, non saltem famam de *tabulis foederis*, ad gentiles penetrasse, verum etiam illos, re ipsa, easdem, per  $\kappa\omicron\mu\omicron\zeta\eta\lambda\omicron\upsilon$ , imitatos esse, quum duo hi majores lapides, in *Eleusiniis*, tabulas legis respexerint. Neque temere hoc ipsum statuimus, quum, jam ante nos, *Iac. Gothofredus* (f), ab *Hoffmanno* citatus, & ipse *Hoffmannus* (g), hanc Gentilium

$\kappa\omicron\mu\omicron\zeta\eta$

(d) *Lexic. Univ. tom. III. ad vocem PETRA f. 682.* (e) *OO. tom. I. Hist. Deorum, Syntagm. V. p. 431.* (f) *Exercit. I. de Eccl. (g) l. c. & tom. IV. voce TABULA f. 334.*



νομοζήτων animadverterint, atque exposuerint. Ceterum, in ipsis *Elevsinis* explicandis, prolixi esse nolumus, quum, de his Sacris, praeter *Clementem Alexandr.*, *Tertullianum*, & *Arnobium*, ab HOFFMANNO (h), GYRALDO (i), & MARSHAMO (k) informemur, qui, si plura expetantur, non sine fructu, de hoc antiquitatis capite, consuli poterunt.

§. XXII. Somniis *Maimonidis*, atque *Spenceri*, hucdum, explosis, antequam ad seria redeamus, de virtute singulari *tabularum foederis*, a *Muhammedanis* ipsis, adscripta, pauca commemoranda erunt. Refert scilicet B. SAM. POMARIUS (l), *Turcas*, in *Colloquio quodam*, quod ex *Rostio*, *Cornelio Marci*, & *Valerio Herbergero*, exhibet, haec deliramenta proferre: *Mosen*, in deserto, sepulchrum apertum invenisse, & juxta suam ipsius dimensionem proportionaliter illud metitum esse. Quum, autem, Angelus percutiens ipsum interficere voluisset, illi respondisse: *Quoniam animam meam, a me, vis sumere, edic mihi prius, ex quo loco illam vis educere? non per os, eo enim cum DEO locutus sum; nec per aures, iis enim vocem DEI audivi; nec per oculos, iis enim gloriam DEI vidi; nec per manus, iis enim duas tabulas decem praeceptorum DEI portavi; nec per meos hos pedes, illis enim in monte constitui. His finitis Angelum abiisse, & cito alia forma apparuisse, atque pomum, de arbore Paradisi, naribus ejus admovisse, quod, quum olfecerit, animam ipsius, e naribus, exiisse. Quam male vero, haec commenta, cum Scriptura, cohaereant, exinde, facile, patescit, quod illa *Mosen*, non in deserto, sed in planitiebus *Moab*, in monte *Nebo*, mortuum esse dicat. Tacemus, hanc sententiam, quoque, sanae rationi repugnare, quum animam immaterialem, materialem faciat. *Rabbini* interea, quamvis & ipsorum placitum inane figmentum sit, a *Muhammedanis*, hac in parte, recedunt, atque contendunt, *Mosen*,*

G 3

nulla

(h) l. c. tom. II. voce *ELEVSINIA* f. 142. 143. 144. (i) l. c. p. 429. 430. (k) *Canone Chron. Sec. X.* p. 259. 260. 261. 262. Edit. Lips.  
(l) *Comment. in Epist. Iudae ad v. 9.* p. 265.

nulla alia, ex *nongentis & tribus mortis speciebus*, (tot enim numerant,) diem supremum obiisse, quam illa, quae, ex mente ipsorum, *Deut. XXXIV. 5.* exponitur, nempe על פי יהוה, *ad os Iehovae*, quae verba *Targum Ionathanis Vzielis* על נשיקת מימרה, *ad osculum verbi Domini*, vertit. Dicunt, itaque, HOTTINGERO (m) annotante, Mosen, hoc mortis genere, quod נשיקת, dicitur, mundo valedixisse, quam fabulam, uti jam dictum, ex verbis על פי exsculpunt. Unde in *Devarim Rabba* narratur: בנותו שערו נשקו הקבר ונטל נשמתו בנשיקת פרו: *Et ipsa hora osculatus est eum DEVS, & accepit animam ejus per deosculationem oris.* Atque hoc mortis genus, eodem Hottingero referente, tam lene, & placidum, esse volunt, ut conferratur משהל במה, *extractioni pili, ex lacte.* At, tam certa est haec relatio *Rabbinorum*, quam certa illa *Mubammedanorum* fuit; quum illud על פי, simpliciter, *juxta verbum, & mandatum, Domini*, non *ad osculum verbi Domini*, sit interpretandum.

§. XXIII. Omnibus, fere, capitibus *Historiae Tabularum foederis* absolutis, memorabilis illa controversia, adhuc, restat: *Quorsum tandem tabulae foederis posteriores pervenerint?* Neque, tamen, opus erit, in hac ipsa pertractanda, multum laboris impendere, quum ista omnia, quae IO. BEN. CARPZOVIVS (n) de *Arca foederis* scripta reliquit, & hic locum suum inveniant. Ut rem brevissimis comprehendamus, omnium sententiae eo redeunt, ut *tabulae foederis, cum arca, vel sint absconditae, vel in Babelem deportatae, vel, prorsus, in vastatione templi prioris, deperditae.* Illi, qui *arcam, cum tabulis, absconditam fuisse existimant, iterum, in varias scindunt partes, ita, ut alii easdem, cum arca, a Ieremia, in monte Nebo, alii, a Iosia, in Crypta Salomonis, sub templo, alii, tandem, in conclavi lignorum absconditam statuunt. In speluncam, montis Nebo, Ieremianam*

arcam,

(m) *Smegmate Orient. Lib. I. c. VIII. p. 458. 459.* (n) *Dissert. de Quaest. S. Quorsum arca foederis pervenerit?*

arcam, cum tabulis, aliisque rebus sacris, intulisse, additis quibusdam circumstantiis, docet *Auctor fabulosus Libri II. Maccabaeorum, cap. II, s.*, cui fabulae immane quantum EPIPHANIVS (o) addidit, cujus verba integra *Carpzovius* in medium protulit, imo ABVLENSIS (p), cum aliis, eo est progressus, ut arcam, una cum tabulis, a *Ieremia, in sepulchrum Mosis* reconditam fuisse, contendat. Quae omnia, eodem loco, cum istis habenda sunt, quae in *Lib. II. Maccabaeorum, apocrypho*, de igne abscondito, & a *Nebemia* invento, traduntur. Hanc sententiam, plerique, ex *Rabbinis* recentioribus, deserunt, & arcam, cum tabulis foederis, in locum abditum, secretumque, a *Salomone, sub templo, paratum, Iosiam* introduxisse volunt, quod ipsum, ex *2. Paral. XXXV. 3.*, adstruere conantur, ubi *Iosias* Levitis injungit, ut arcam sanctitatis in domum, quam *Salomon* aedificaverat, reponeret. Quum autem hic locus non de *Crypta Salomonis*, sed de *Sancto Sanctorum*, loco arcae proprio, ex quo impii Reges eandem, forsan, removerant, sit intelligendus, tota haec *Rabbinorum* traditio evanescit. Alii, adhuc, ex *Rabbinis*, uti ex *Gemara Babyl. ad locum Mischnae, tractatus Ioma*, a *Carpzovio* adducta, constat, existimant, in conclavi lignorum, eam, per miraculum, detectam esse. Verba apud *Carpzovium*, ita sonant: אמר ר' נחמן תנא וחכמים אומרים ארון בלשכת דיר העצים הוה נגנן אמר רב נחמן בר וצחק אף אנן כמי תנינא מעשרה בכחן אחר שיהיה מתעסק וראה את הרצפה שחיא משוברה מתכרותיה וכו' והודיע את חבריו ולז' הספיק לגמור ארת הדבר ער שיצאה נשמתו וידעו בייחוד ששם ארון גנון מאי הוה עבדי אמר רבי חלבו מתעסק הוה בקרדומו *Dixit R. Nachman: Sapientes dixerunt: arca in conclavi lignorum, fuit abscondita. Dixit Raf. Nachman Bar Hizjack, etiam nos didicimus, accidisse, aliquando, ut, dum sacerdos quidam aliud ageret, observaret asserem, seu tabulam quandam,*

(o) de vitis *Prophetar. in vita Ierem. tom. II. OO.* (p) l. c. ad *Exod. XXV. quaest. XIV f. 37. & quaest. XV. f. 38.*

*dam, a reliquis diversam, & iuit, & indicavit rem collegis suis; sed non potuit eam perficere, donec anima ejus exspiraret. Hinc sciverunt illi certo, & accurate, arcam illic esse absconditam. Quid, vero, faciebat? (Sacerdos ille) Respondit R. Chalbo: occupatus erat cum sua securi &c. Sed haec ipsa figmentum aliquod Rabbiorum esse, vel manibus palpari potest; hinc quidam, ex Rabbis, prorsus, sententiam, de occultatione arcae, missam fecerunt, & eandem, cum tabulis, Babelem deportatam esse, existimarunt. Innituntur duobus, maxime, Scripturae locis: quorum prior habetur 2. Reg. XX, 17. in quo Esaias Hiskiae Regi, ob peccatum commissum, annunciat, fore, ut omnia, quae, in domo ipsius, reperiebantur, & quae Patres ejus reposuerant, Babelem abducerentur; hic, tamen, tantum, de apparatu regio, non de vasis templi, agitur: Posterior, ex 2. Paral. XXXVI, 10. & 18. est petitus, ubi refertur, quod elapso anno Rex Nebucadnezar miserit, & Iehochajinum Babelem, cum omnibus vasis, concupiscibilibus, domus Iehovae, abduxerit; quae verba, tamen, non omnem apparatus templi includunt, cum, jam antea, secundum v. 7. quaedam Babelem deportata fuerint, ut, adeo, & illud falsum sit, arcam, cum tabulis foederis, ex templo priori, casu infelici, Babelem pervenisse. Tutissima via illi incedunt, qui, cum Carpozio, sentiunt, eo tempore, quum praefectus satellitum, Nebusaradan, domum Iehovae, incendio deleret, arcam, una cum tabulis, periisse, quae, forsan, confractae, comminutae, & sub ruinis, sepultae fuerunt. Cadunt, itaque, & reliquae opiniones, quod tabulae, in secundo templo, fuerint, quod a Tito, in triumphum deductae sint, & adhuc, Romae cum arca, afferrentur, atque quod, tandem, restitutio ipsarum sperari queat, quae omnia sententiis, hucdum, refutatis, innituntur.*

§. XXIV. Tandem, ad finem laboris nostri B. C. D. properantes, quaestionem illustrem: *an, praeter priores, & posteriores, aliae adhuc legum tabulae fuerint?* breviter attingemus.

Studio

Studio autem de *tabulis legis*, non de *tabulis foederis*, hic quaerimus: quum nemo, facile, inveniatur, qui statuat, DEVM, tabulis quibusdam, denuo, foedus suum, cum Israelitis initum, restaurasse. Hac cautione praemissa, de re ipsa monemus, *duas* in primis, praeter priores, & posteriores, legis tabulas, se nobis obtulisse, de quibus, nunc, ordine, agemus. Prior inter has, in Sacris Literis, fundamentum suum invenit. Refertur, namque, *Ios. VIII. 30. 31. & 32.*, *Iosua*, in monte *Ebal*, altare Iehovae exstruxisse, &, deinde, ibi, *super lapide* scripsisse exemplum legis Mosis, quam, coram filiis Israelis, scripsit. Res ipsa, in aprico, posita est; quum, vero, non expresse dicatur, *Iosua*, *in altari*, sed *super lapide*, legem scripsisse, hic duae ortae sunt sententiae, quarum una *in altari*, altera vero, *in alio lapide*, a *Iosua*, legem scriptam fuisse, perhibet. Hanc B. GERHARDVS (q), a WAGENSEILIO (r) citatus, tuetur; illam, autem, *Rabbini*, *Iosephus*, & alii, amplectuntur. Memorabilis, hoc de negotio, locus, in *Mischna* (s), extat, qui ita sonat:   
וּאָכַר כֶּךָ הֵבִיאוּ אֶת הָאֲבָנִים וּבְנוּ אֶת הַמִּזְבֵּחַ וְסִרוּהוּ בְּסִיד וּכְתוּבָה עָלָיו אֶת כָּל דְּבָרֵי הַתּוֹרָה בְּשִׁבְעִים שָׁנָאִם בְּאֵר הַיַּטֵּב:   
Postea, *allatis lapidibus*, altare exstruxerunt, illudque calce dealbantes, *inscribere eisdem omnia verba legis LXX. lingvis. Q. S. E. (Deut. XXVII. 8.)* declarando bene. *Atque sic lapides sumserunt, &, in loco suo, pernoctarunt.* Cui sententiae, interea, sit accedendum, non constat? nobis sufficit, quod *Wagenseilius*, ex *Iosepho*, commemoret, altare hoc, vel, quod addimus, lapidem illum, *vicem quasi tabulae, cui literae committerentur, praestitisse.* Porro, ex eodem loco *Mischnico* innotescit, *Rabbinos* statuere, *LXX. lingvis*, legem, hoc in lapide, vel altari, scriptam fuisse, quae verba *MAIMONIDES* (t) ita explicat, ut idem significant, ac *in Scriptura uniuscujusque nationis.* Exprimitur, autem, hic a

H

Rabbi-

(q) *In Comm. Deut. p. 1599.* (r) *Notis ad Massechet Sota Cap. VII. num. 5.* (s) *Massechet Sota cap. VII. num. 5.* (t) *Notis ad Mischnael. c.*

*Rabbinis*, numerus septuagenarius, quia Iudaei nec plures linguas, inter orbis incolae, obtinere credunt. Hoc, ut *Wagenfeilius* adstruat, locum ex *Pirke R. Eliezeris* (u) adducit, qui ita se habet: וירר הק' בה ושבעים המלאכים הסובבים כסא' כבודו ובלבל את לשונם לשבעים גוים ושבעים לשון כל אחר ואחר גוי וכתבו ולשונו ומנח מלאך על כל אומה ואומה ושרא נפלא בחלקו וחבלו ועל זה נאמר כי חלקי : quae verba ex versione *Vorsliana* sic fluunt : *Descendit Sanctus Ben. & 70. Angeli, cingentes solium gloriae ejus, atque confudit linguas 70. populorum, quaelibet, autem, gens, ex 70. habuit suam linguam, & Scripturam, atque angelum praefecit cuilibet genti: Israel, vero, esset in hereditatem, & sortem, ejus, atque, de hoc, dictum est Deut. XXXII. 9.:* Quia pars Domini, populus ejus. Finem scriptionis hujus, LXX. linguarum R. BARTENORRA (x) sequentibus, exponit: בכתב של שבעים אומות וכל הרוצה ללמד יבא וילמד שלא יהא פתחוק פה לאומות לומר הרוצה ללמד לא הורו לנו מהיכן ללמוד: *Diversis 70. nationum literis (legem divinam, intellige, fuisse descriptam,) ut quisque discere volens, veniret, ac disceret, nec uterentur pagani excusatione, non habuisse sese, unde discerent.* Rationes, tandem, hujus sententiae duas afferunt. Prior extat in loco *Mischnae*, citato, quod, nimirum, *Deut. XXVII. 8.* a Mose jubeatur, ut haec scriptio legis fiat באר היטב, *probe, exprimendo, vel, bene, declarando;* Posterior, in eo consistit, quod ipsa quoque praecepta, quum promulgarentur, 70. linguis insonuerint, quod, iterum, *Wagenfeilius*, sequenti loco *Rabbinico*, ex *Schabbat* (y) desumpto, comprobat, qui ita fluit: אמר ר' יוחנן מאי דכתיב וי יתן אומר המבשרות צבא רב כל דבור ודבור שיצא מפי הנבחרים נחלק לע' לשונות תנת דבי רבי ישמעאל וכפטיש יפוצץ סלה מיה פטיש זה נחלק לכמה ניצוצות אף כל דבור ודבור מיה פטיש מפי הק' ברא נחלק לשבעים לשונות: *Docuit R. Iochab-*

(u) cap. XXIV. (x) *Notis ad Mischnae l. c.* (y) f. 88. b.



*Iochanan: quis sensus verborum* (Pf. LXVIII, 12.) Dominus dat sermonem, annunciantium est exercitus magnus. *Scilicet, quodque verbum, quod, ex ore DEI, prodibat, divisum est in LXX. linguas. Idem, ab Academia R. Ismaelis, traditum habetur:* (comparat DEVS Ierem, XXIII, 39. verbum suum;) *malleo, qui efficit, ut dissiliat petra. Nimirum, uti cum malleus, (petrae magna vi impactus,) innumeras stricturas dissilire facit, ita, quoque, verbum, ex ore divino prodians, in LXX. linguas est divisum.* At, si recte utramque hanc rationem inspiciamus, fatendum est nobis, illas ipsas totam rem suspectam reddere. Ex loco, enim, *Deuteronomii* citato, id, nullo modo, extorqueri potest, alterum, vero, ideo, falsum videtur, quia, quum lex a DEO promulgaretur, vix, in castris Israelitarum, peregrini quidam, qui, eo tempore, hanc gentem fugiebant, adfuerunt. Et haec, de priori legis tabula, sufficiant; ad posteriores, nunc, transeamus, quas *FAMIANVS NARDINVS* (z), in templo posteriori, ad imitationem priorum, a *Zorobabele*, uti alia vasa, factas, iisque decem praecepta inscripta fuisse, contendit. Rationes, quae ipsum, ad suscipiendam hanc sententiam, urgent, sunt in primis sequentes. Prius templum *Salomonem*, ad arcae foederis, & tabularum, tutelam, extruxisse, ut, antea, tabernaculum, iussu divino, in deserto, factum fuit, unde *Propheta Rex 2. Reg. VII*, dicit: *Videsne, quod ego habitem in domo cedrina, & arca Domini posita sit in medio pellium, & qua de causa Sanctum Sanctorum, praestantissima templi pars sit habenda.* Porro, exinde, *Nardinus* sententiam suam adstruere conatur, quod, in posteriori templo, *altare thymiamatum* fuerit, &, tandem, quod duae tabulae legis, a *Tito Vespasiano*, in triumphum sint deductae. Ast ista omnia, tacente Scriptura, hoc nondum evincunt. Quamvis, enim, id verum sit, praestantissimam totius cultus Levitici partem, arcam foederis, cum propitiatorio, quod Christum re-

H 2

praesen-

(z) *Roma veteri cap. XII. apud Graevium, Thes. Antiqu. Roman. tom. IV. p. 1031.*

praesentabat, fuisse, id, tamen, falsum est, propter solam arcam, Salomonem templum exstruxisse, quum, potius, propter totum cultum Leviticum, quem DEVS, Hierosolymis, in primis, celebrari volebat, illud fecerit. Deinde, id quoque addendum, in posteriori templo, arca, propitiatorio, & tabulis legis, non opus fuisse. In eo, enim, Christus ipse, tanquam verum propitiatorium, sistendus erat, qui est Angelus foederis, & nostri loco, totam legem, perfecte, adimplevit. Altera *Nardini* ratio nihil, prorsus, probat. Non, enim, sequitur, quod, si altare thymiamatum, in posteriori templo, adfuerit, etiam sit statuendum, arcam novam, cum aliis tabulis, a *Zorobabele*, adornatas fuisse. Tertia, tandem, ex eo capite, rejicitur, quod locus ille *Iosephi*, ad quem se isti recipiunt, qui *Vespasianum* arcam, cum tabulis foederis, in triumphum deduxisse, contendunt, potius de libro legis, quam de tabulis legis, sit intelligendus. Sic, itaque, DEO fortunante, cujus auspiciis hunc laborem inchoavimus, eundem, etiam, concludimus, atque, prout pietas a nobis postulat, immortales, religiosissimasque laudes, pro benigna ejus assistentia, ipsi discernimus, nosque, porro, gratiae ejus, devote commendamus.

---

### SOLI DEO GLORIA.

---

#### ERRATA EXTANTIORA.

Pag. 4. Notis lin. 1. pro *i. Reg. VI. 6.* leg. *i. Reg. VI. 7.* p. 5. lin. 24. pro *c. XVII. 1.* leg. *c. X. 17.* p. 21. Notis lin. 1. pro *quaest. 22.* leg. *quaest. 27.* p. 23. lin. 5. pro *v. 16.* leg. *v. 17.* p. 25. lin. 22. *ו* expungatur. p. 30. Notis lin. 1. pro *p. 223.* leg. *p. 123.* Ceterum, quae oculos fugiunt, B. L. haud gravatim corrigat.

CONSPICE.




CONSPECTVS  
DISSERTATIONIS  
DE TABVLIS FOEDERIS  
POSTERIORIBVS.

- §. I. Differentia, inter tabulas priores & posteriores ostenditur.
- §. II. Modus tabulas posteriores fabricandi, beneficio vermiculi Schamir, exponitur.
- §. III. De vero tabulas foederis posteriores fabricandi modo,
- §. IV. de Tempore, & Loco, fabricationis,
- §. V. de Materia tabularum posteriorum,
- §. VI. de errore Iarchii, quasi Moses, ex frustis tabularum abscisis, valde ditatus fuerit,
- §. VII. de Dimensione posteriorum tabularum,
- §. VIII. de Auctore scriptionis,
- §. IX. de Modo scribendi, & de Tempore exhibitionis posteriorum tabularum,
- §. X. de cauffis, quare posteriores non sint contractae, & de Praestantia posteriorum tabularum,
- §. XI. de Loco, quorsum tabulae posteriores sint repositae,
- §. XII. de Tempore, quo in arcam illatae fuerunt,
- §. XIII. de Modo, quo in arcam sunt collocatae,



- §. XIV. & XV. de Quaestione, an solae tabulae posteriores in arca foederis fuerint?
- §. XVI. de Locis, in quae tabulae, postea, una cum arca, sunt delatae, edifferitur.
- §. XVII. An post depositionem in arcam tabulae posteriores amplius adhuc visae sint?
- §. XVIII. an ad testandum protrahi potuerint?
- §. XIX. an Regi Israelitarum, inaugurando, in manus traditae fuerint?
- §. XX. an, cum arca, loco simulacri Gentilium, vel, loco symbolorum, & instrumentorum, sacratorum, in cistis Gentilium asservatorum, sint habitae, quaeritur?
- §. XXI. Testimonium Gentilium de tabulis legis, & νομοθεσιᾶ ipsorum, adducitur.
- §. XXII. Virtus singularis tabularum foederis commemoratur.
- §. XXIII. Quaestio: quorsum tabulae foederis posteriores pervenerint? &
- §. XXIV. an, praeter priores, & posteriores, aliae legum tabulae fuerint? evolvitur, atque toti operi B. C. D. finis imponitur.



AD  
FILIVM DILECTVM.

**D**e JESCHÜRUN specimen placuit tibi pro-  
dere primum,  
*Fili: natales quos habeatque doces.*

VINDICIAS *oracli* suscipis inde PETRINI:

Quod depravatum turpiter esse patet.

Interpres *vulgatus* enim, sine mente, *divinos*,  
*Injuste* reddit: *Clerus* & ipse probat.

Ac, quod vix credas, *summus* Romae quoque *Praesul*

Errorum facit hunc, mordicus, ipse suum.

Fulmine namque ferit, praetextu, quis licet is sit,  
Vulgato tentes sique negare fidem.

A lapsu fidei, dicendus qui mihi possit

Immunis Iudex, dogmata dira probans?

Ad *veterum* TABULAS, *sacras* pariterque *profanas*,

Nunc animum confers: quantus at iste labor?

Sufficiat firmas igitur Numen tibi vires:

Decurrant fausto tramite coepta pia.

Ac Evergetas propensos suscitet Iro;

Exhaustos loculos quo reparare queas.

Optatosque duces porro concedat, ut addant,

Quae desunt studiis, dexteritate bona.

Inque


Inque Sacris caute ducant ad dogmata sana;  
Organon evadas utile ficque DEL.  
Depositum ac verbi studeas servare fidelis:  
In coetu ut fias firma columna sacro.  
Quodque tibi proponis iter jam suscipe faustus:  
Perficias sospes cuncta, juvante DEO.  
Nec desint, tenuem sortem qui sponte levarent,  
Maecenates; quos praemia larga manent.  
Doctrina cultus, vera pietate coruscus,  
Ac sospes patriae sic repetasque solum.  
Hinc, aetate graves, laetus videasque parentes:  
Annuat ac votis gratia dia piis.


*Pater optime cupiens*

M. GEORGIUS MICHAELIS, Hung.

Incluti Philosoph. Collegii, ad Alchim,  
Assessor.







AB 153000 (1)

ULB Halle 3  
003 948 544



56.


R

VD 17









Farbkarte #13

B.I.G.

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

35.

46

L. F. M.

ERTATIO

DE

להורות  
אהרן

SEV

S FOEDERIS  
RIORIBVS

QVAM

ORVM EXAMINI

YBICIVNT

A E S E S

ES FRIDERICVS  
HAELIS

TEMB. SAXO

ET

SPONDENS

NVS PANTHERVS

ENSIS LVSATVS

S. THEOL. CVLTOR.

OCTOBR. A. ∞ D CC XIX.

TORIO MINORI

TEMBERGAE

VAE GERDESIANAЕ.

